Sc. 6. Pl. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO GESUITICO
37
6 A
13

- MAG 4055

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHOLA
VERITATIS INQUIRENDÆ,

QUAM

WOLFIANA METHODO CONSCRIPSIT,

ET

AVUNCULO NUNCUPAVIT SUO

F. JOSEPHANTONIUS

VINCIGUERRA

A TAUROMENIO

ORDINIS MINORUM

PHILOSOPHUS.

PANORMI,

EX TYPOGRAPHIA D. ANDREÆ RAPETTI,

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ M.DCC LXXVII.

CUM SUPER. APPROBATIONE.

Digitized by Google

Methodo philoſophica philoſophanti perinde eſt, ſive VERITAS *fuerit jam olim agnita, ſive recentius demum detecta, ſive hodie in pretio ſit, ſive contemnatur, ſive ab aliis fuerit eruta, ſive ab ipſo demum proprio marte reperta, ſive a Viro celebritatem nominis conſecuto defendatur, ſive lateat in libro Autoris obſcuri nominis.* VERITATEM *ipſe per ſe amat, & eam propter ſe maximi facit, non eam ad famam, opes, aliorumque favorem refert.* WOLFIUS *Diſc. præl. ad Log. Not. ad* §. 155.

Digitized by Google

R. A. P.

GREGORIO. CALARCO.

TAUROMENITANO.

ORDINIS. MINORUM.
SICILIENSIS. OBSERVANTIUM. PROVINCIÆ.
EX-CUSTODI.
HUMANARUM.DIVINARUMQUE.SCIENTIARUM.
LECTORI. JUBILATO.
ET.
EX. QUATUOR. PRIMO.
SACRORUM. MAXIME. BIBLIORUM.
CALLENTISSIMO.
VIRO.
NON.
OPIBUS. VANISQUE. FORTUNIS.
SED.
OMNI. GRADU. AUROQUE.
PRETIOSIORIBUS.
ACUMINE.ALACRITATE.MEMORIA.FACUNDIA.
MAGNANIMITATE.
CETERISQUE. VIRTUTIBUS.
PRÆSTANTISSIMO.
APUD.
IMMORTALEM. HOMINEM.
SERAPHINUM. A. TAUROMENIO.
MAGNI.

PRI-

Digitized by Google

PRIMORIBUS. UBIQUE. LOCORUM.
CHARO.
EGENORUM. APUD. DIVITES.
PATRONO.
INTRICATISSIMIS. NODIS. EXTRICANDIS.
FACILLIMO.
NEGOTIIS. QUIBUSQUE. GERUNDIS.
DEXTERRIMO.
NON.
AVUNCULO.
SED.
PATRI.
NON.
PATRI. TANTUM.
SED.
MAGISTRO.
HAUD. PŒNITENDO.
DISCIPULUS. IDEMQUE. NEPOS. FILIUSQUE.
CUI.
NUNQUAM. EX. ANIMO. DELEBITUR.
AVUNCULI. PATRIS. MAGISTRI
BENEFICI. AMANTIS. OPTIMI.
MEMORIA.
F. JOSEPHANTONIUS. VINCIGUERRA.
UNUM. ET. TRIGINTA. ANNOS. NATUS.
PRIMITIAS. LABORUM. SUORUM.
QUALESCUNQUE.
D. C. O.

Digitized by Google

LECTORI PHILOSOPHO

F. JOSEPHANTONIUS VINCIGUERRA

A TAUROMENIO

Perpetuam Felicitatem.

CUR hanc, quam cernis, VERITATIS INQUIRENDÆ SCHOLAM, in tam illuſtri Eruditorum Sæculo elucubrarim, ſi forte roges, breviter, ingenueque reſpondeam. Cathedra, cujus honore ſummo me cohoneſtare dignati ſunt SAPIENTISSIMI PANORMITANI PATRES, quorum tunc Præſes ſollertiſſimus A.R.P. GREGORIUS A MARSALIA, Dignitate conſpicuus, TOTIUSQUE MINORUM ORDINIS REVERENDISSIMUS, AMPLISSIMUSQUE MINISTER GENERALIS, id mihi primum clara voce efflagitaſſe viſa eſt, ut, qualem ferme PLATO vult Regem eſſe debere, qui videlicet & contemplantium more vera dijudicet, & jura non aliena quidem, ſed ſua mandet agenda (*a*), talis Lector eſſem doctorque mearum, non alienarum rerum vel interpres dumtaxat, quod CICERO vetat (*b*), vel impudens exſcriptor, quaſi

..... iniquæ mentis aſellus,
Cum gravius dorſo ſubiit onus (*c*).

Numquid ego perpetuus Auditor tantum ARNALDI, GENUENSIS, WOLFII?

(*a*) *FICINUS in Civil. ſub init.*

(*b*) *I. Offic. Proœm. f.*

(*c*) *HORAT. I. Satyrar. 9.*

Et

Et Nos ergo manum ferulæ ſubduximus . . .
. . . Stulta eſt clementia, cum tot ubique
(Scriptis) occurras, perituræ parcere Chartæ (*d*).

(d) JUVENAL. Sat. I.

At edendam in lucem me, diu licet, multumque obſiſtentem, AUDITORUM, quos bona ſorte probos, perque diligentes nactus fui, FRANCISCI præſertim a CYRCLARIO, ætate Juvenis, ingenio Viri, preces, & commodum impulere. Si Marco enim filio proſpiciens Pater OFFICIA conſcripſit; cur ego ob meos, literis certe, ſi non naturâ, filios hunc hoc tempore, reliquoſque poſthac non emittam PHILOSOPHIÆ Libros? Equidem cum PLINIO ita ſentio, peculiarem in Studiis cauſam eorum eſſe, qui, difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi (*e*). Methodi autem, Styli, Titulique Operis rationem legendo, LECTOR, intelliges. Non te vero mei pudeat pigeatque, quod cum Latinis interdum Itala, cum Philoſophicis Poëtica aut Exempla, aut Apophtegmata copularim. Nam ſi CICERO ſemper cum Græcis Latina conjunxit, filioque ſuo conjungenda mandavit, ut pares eſſent in utriuſque Orationis facultate (*f*), & TERENTIO aliquando, ENNIOque Poëta ſæpius, HOMEROque PLATO, HIERONYMUS VIRGILIO, & PAULUS ARATO, & EPIMENIDE uſus eſt (*g*); cur mihi etiam non liceat cum Latinis Itala quandoque

(e) AD VESPAS. præf.

(f) I. Offic. Prœm.

(g) ACTOR. XVII. 28. AD TIT. I. 12.

doque

doque miſcere, & PLAUTO, TERENTIO, HORATIO, VIRGILIOque uti? Quæſo tandem

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero (*b*)? Nimirum omnes fallimur, nec videmus manticam, quæ in tergo eſt. Adhibe te ergo mihi æquum judicem, non iniquum (*i*). Vale.

Dabam Catanæ ex Venerabili Conventu S. Agathæ Veteris Anno æræ Chriſtianæ MDCCLXXVI. III. Kal. Aprilis.

(*b*) *HORAT. Satyrar. l. 10. pr.*

(*i*) *PICUS ad ANGELUM T. I. pag. 372. Baſileæ.*

Quum

Q*Uum mandato Revm̃i D. Hieronymi Palermo, Archiepiſcopi Laodiceæ, & Judicis Regiæ Monarchiæ, necnon Apoſtolicæ Legatiæ Opus, cui titulus* Schola Veritatis Inquirendæ, *Wolfiana methodo conſcriptum a F. Joſephantonio Vinciguerra, Tauromenitano, Ord. Minorum; perlegerim, nilque in eo invenerim, quod Reipublicæ, moribus, & Religioni ſit adverſum, quinimo ubique Lingua Latina fulgeat, exemplis, notiſque Veritas illuſtretur, ſit igitur ſtudioſæ Philoſophiæ juventuti perutile, publica luce omnino dignum judico;*

FR. JOSEPH. M. LUCIFORA, S.Theologiæ Magiſter, ac Regens Ord. Carmelitarum.

M*Andante R. A. P. Salvatore a Camerata, noſtræ Obſervantis Provinciæ Vallis Mazariæ Miniſtro, qui hanc a Reverendiſſimo totius Ordinis Minorum Miniſtro Generali facultatem acceperat, Librum, cui titulus* Schola Veritatis Inquirendæ, *a F. Joſephantonio Vinciguerra a Tauromenio, noſtræ Obſervantis Provinciæ Siciliæ Lectore Theologo, compoſitum perlegi. Nihil in toto Opere vel Fidei, vel Moribus adverſum inveni. Imo perpetuum Latinæ Linguæ nitorem, ſcientificam Methodum, Exemplis, Notis, Criticeque refertam, multaque, & nova tum in Eloquentia,*

quum

quum præſertim in Dialectica, omni ævo, omnique homini profutura, ſummo animi mei oblectamento notavi. Librum ergo perutilem, & publica luce digniſſimum cenſeo.

F. Damianus a Panormo
S.T.Lector Generalis.

M*Andato A. R. P. Salvatoris a Camerata Miniſtri Provincialis, cui facultatem Reverendiſſimus Miniſter Generalis dederat, obtemperans,* Scholam Veritatis Inquirendæ, *a F. Joſephantonio Vinciguerra, Tauromenitano, Provinciæ Siciliæ Lectore Theologo conſcriptam, diutius expendi. Nil equidem in ea reperi, quod moribus, vel Fidei refragetur. Quin potius Acumen, Eloquentiam, Eruditionem, Methodumque Auctoris valde ſum admiratus: Illam ergo prælo dignam arbitror.*

F. Honoratus a Soſpello
S.T.Lector Jubilatus.

Digitized by Google

Fr. Paschalis a Variſio, Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Matritenſi Congreſſu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius, Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

Cum Opus, *cui titulus* Schola Veritatis Inquirendæ, *a P. F. Joſephantonio Vinciguerra a Tauromenio, noſtræ Obſervantis Provinciæ Siciliæ Lect. Theol. compoſitum, a duobus P. P. Theologis de Ordine Noſtro, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit; vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſit.*

Dat. Romæ ex Aracœli die 24. *Decembris* 1776.

Fr. Paschalis a Variſio
Miniſter Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mand. Rmi in Ch. Patris
Fr. Clemens de Florentia
Secr. Gen. Ord.

Reg.

REVERME DOMINE,

M*Andato tuo Opus*, *cui inſcriptio*, Schola Veritatis Inquirendæ, quam Wolfiana methodo conſcripſit, & Avunculo nuncupavit ſuo F. Joſephantonius Vinciguerra a Tauromenio, Ordinis Minorum Philoſophus, *attente perlegi*. *Nil Religioni*, *ac Reipublicæ contrarium continet*, *nil quod honeſtos*, *Chriſtianoſque mores inficiat*; *quinimo plura affert*, *quæ præbeant ſtudioſæ Juventuti recentioris Philoſophiæ emolumenta*, *augumentumque luculentiſſimum*. *Ideo Typis demandandum cenſeo*.

CANONICUS HORATIUS TURRIS.

CON.

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS.

LIBRI SUNT VI.

LIBER I. EST EPITOMA PHILOSOPHIÆ UNIVERSÆ.

LIBER II. DE IDEA AGIT, ET VOCABULO.

LIBER III. DE JUDICIO, ET PROPOSITIONE.

LIBER IV. DE RATIOCINIO, ET SYLLOGISMO.

LIBER V. DE ORATIONE.

LIBER VI. DE DISPUTATIONE.

Digitized by Google

SCHOLÆ
VERITATIS INQUIRENDÆ
LIBER I.
Qui eſt
EPITOMA PHILOSOPHIÆ UNIVERSÆ.

§. I.

QUONIAM ſagax Hominum genus RATIONE, facis inſtar præeunte, ducitur, ut, quo ducatur, advertat; palam eſt, PHILOSOPHIÆ operam navaturum, QUID ea ſit, luculente, primoque docendum.

§. II.

Eſt igitur (§. *I.*), ſi interpretari velis, ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem eſt, ut a Veteribus definitum eſt, Rerum Divinarum, & Hu-

Digitized by Google

manarum, cauſſarumque, quibus hæ Res continentur, SCIENTIA (*a*). Per Res Divinas intelligimus DEUM, omniaque, quæ extra ſe produxit, Opera. Res Humanas vocamus omnes Hominum actiones, omniaque artificialia, quæ ab Hominibus, res creatas certo ordinantibus modo, & ſitu, peraguntur (*b*).

(*a*) *CICERO II. Offic. Proœm. VVOLF. Par. 29. Log. CANUS IX. 9. ad 3. HEINNEC. Elem. Jur. Par. 25.*

(*b*) *MUSSCH. Elem. Phys. Parag. 1.*

§. III.

SCIENTIA (§. *II.*) eſt habitus demonſtrandi, ſive aſſerta ex PRINCIPIIS certis & immotis per legitimam conſequentiam inferendi (*c*).

(*c*) *VVOLF. Par. 30. Log. Paullo aliter PLATO in Theat.*

§. IV.

PRINCIPIA autem certa & immota (§. *III.*) ſunt EXPERIENTIA, DEFINITIONES, AXIOMATA, & PROPOSITIONES DEMONSTRATÆ (*d*) [1]. Sed Hæc deinde.

(*d*) *VVOLF. Par. 562. Log.*

§. V.

Quælibet peculiaris Scientia, vel fuerit a Philoſophia diſſecta (§. *II.*), vel minus, peculiaria habet Principia, ex quibus proxime Concluſiones eliciat. THEOLOGIA quidem Verbum DEI ſcriptum, & non ſcriptum, & Eccleſiam,

1. Quum CONSENSUS OMNIUM HOMINUM ſit vox Naturæ, quod eſt a CICERONE ſapienter dictum, h. e. tacita Divina vox; CONSENSUS HOMINUM nonne erit certum etiam immotumque PRINCIPIUM? Nonne igitur magis & PHILOSOPHORUM CONSENSUS?

cleſiam, de quibus ſubinde diviſis agit CANUS, Theologus magnus, & copioſus. 6 Quoniam JURISPRUDENTIA eſt juſti, injuſtique Scientia, Juſtitia autem eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi (*e*); JURISPRUDENTIÆ Principia ſunt eadem, ac Naturæ Principia (*f*). 7 Quum vero JCTUS in interpretandis, applicandiſque Legibus verſetur (*g*); Pandectæ, Inſtitutiones, Codex, Novellæ, & quæ fiunt in dies, vigentque Leges, Conſuetudineſque ſunt JCTO Principia [2]. 8 Experimenta MEDICI (*h*). 9 Suos demum RETHORES, ut de ceteris taceamus, ſibi vendicant Extrinſecos, & Intrinſecos diſſerendi Locos (*i*). 10 Porro nefas eſt THEOLOGO (quod de reliquis dictum puta) ex Experientia ratiocinari, niſi id forte neceſſitas interdum poſtularit: eſt enim ratiocinandum ex proximis, propriiſque Principiis. Experientias tamen ſartas tectas venerabundus excipiat [3]. Nam ſi illæ intercidunt, & Veri-

(*e*) HEINNEC. elem. Jur. Par. 25. 19.

(*f*) CICER. III. Offic. 12.

(*g*) HEINN. elem. Jur. Par. 26. ad 30.

(*h*) BAGLIV. C. 1. num. 7. & C. IV. BOERH. Par. 24. Inſtit. Rei med.

(*i*) PLATINA Art. Orat. Diſp. V. C. III.

2. Qui ergo nulla accuratiore Juris notitia imbutus, cruda ſtudia (oh dictum bene!) in forum propellit, evertendiſque aliorum fortunis quæſtum facit, Rabula vocatur a Cicerone: qui autem Leges, quas memorià tenet, non intelligit, Legulejus. HEINNEC. *Element. Jur.* §§. 29. 27.

3. DIVINÆ REVELATIONES ſunt certiſſimæ, & ſanctiſſima Principiorum Principia, queis igitur uti & virum Philoſophum, & JCTUM, & omnem hominem, ubi fuerit opus, omnino decet, ac aliquando expedit. Et, licet evidentes non ſint, ſunt evidentiſſime credibiles. Quamquam vero evidentiſſima hæc Credibilitas, & Certitudo illa maxima

tas, & Oratio, & Omnia una ſimul intereunt; id quod tum ſponte clarum eſt, quum tertio, poſtremoque Libro patebit uberrime.

§. VI.

Quæcumque aſſerta, ex Principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam illata, ſunt Scientifica (§.*III.*)

§. VII.

At aſſerta, Divinis, Humaniſque Rebus (§.*II.*) conformia, ſunt vera. Veritas nimirum logica, de qua in præſentia, eſt conformitas Judicii noſtri cum objecto, ſeu Re præſentata: Difformitas autem eſt Falſitas (*l*). Sive Rei cujuſvis tunc Veritatem invenimus, quum data Res ita eſt in ſe, ut a nobis percipitur. Unus eſt ſenſus omnium ex Hominum conſenſu deductus (Not. 1.).

(*l*) *VVOLF. Parag.* 105. *Log.*

§. VIII.

Quæcunque aſſerta, ex Principiis certis, & immotis per legitimam conſequentiam illata, ſunt vera (§.*VII.*). Non ſunt: Aut ergo

ma quamvis aliam nobilitate, & immutabilitate vincant; Nos tamen quod attinet, niſi prius, quæ experimur, ponamus certa & immota, fieri nequit, ut alia, quævis ea ſint, certa, immota, veraque teneamus, quum hæc reſpectu notionum noſtrarum ſint illis, ſaltem tempore, poſteriora.

go ex Principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam non ſunt illata; & repugnat hypotheſi: Aut Principia certa & immota non ſunt vera; & abhorret a tota Natura (§.§.*IV.V.*)

§. IX.

Quoniam quæcunque aſſerta, ex Principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam illata, ſunt vera (§.*VIII.*), Quæcunque autem Scientifica ſunt aſſerta, ex Principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam illata (§.*VI.*); Quæcunque Scientifica ſunt vera.

§. X.

Quia quæcunque Scientifica ſunt vera (§.*IX.*), Quæcunque vero Philoſophiæ aſſerta, quatenus Philoſophia eſt Scientia (§.*II.*), ſunt Scientifica [*ex terminis* (*m*)]; Quæcunque Philoſophiæ aſſerta, quatenus Philoſophia eſt Scientia, ſunt vera.

(*m*) *h. e. ut ex vi terminorum patet.*

§. XI.

Quæcunque aſſerta, quatenus Scientifica Methodo procedunt, ſunt concinne contexta, aliud ab alio pendens, alterum alterum trahens, veluti Catenæ anuli [§.*III.* (*n*)].

(*n*) *VVOLF. Cap. IV. Diſc. præl. ad Log. & in Comp. Matheſ. univ.*

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Quoniam quæcumque Philoſophiæ aſſerta, quatenus Philoſophia eſt Scientia, ſunt vera (§.*X.*), Methodoque Scientifica procedentia, ſunt concinne contexta, aliud ab alio pendens, alterum alterum trahens, veluti Catenæ anuli (§.*XI.*); Philoſophia, quatenus eſt Scientia, Methodoque Scientifica procedens, eſt AUREA VERITATUM CATENA (*o*).

(*o*) *ARISTOTELES III. Metaph. l. 1. c. 3. 4.*

§. XIII.

Quandoquidem ex Philoſophia PHILOSOPHUS, aut contra 4.; PHILOSOPHUS eſt Sapientiæ Studioſus (§.*II.*), Sciens Divina, & Humana, ac eorundem Cauſſas [§.*cit.*], Rationem reddere valens eorum, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt (*p*), Inveſtigator denique Veritatum (§.*XII.*).

(*p*) *VVOLF. Par. 46. Diſc. præl.*

§. XIV.

Si ad ea, quæ nobis inſunt, attendamus, elucet ſubito quædam vis, qua nobiſmet externa, quæ ſeſe Organis ſiſtunt, repræſentamus Corpora, ſeu percipimus. Hæc, Hominum

4. Superbi ante PYTHAGORAM Græci vocabantur Sophi, ſcilicet Sapientes (*a*), quum tamen ſolus DEUS ſit Sophos (*b*). At PYTHAGORAS, ob id præcipue Sapiens, quod Sapientis ſe nomine dignum nunquam exiſtimavit (*c*), PHILOSOPHUS, h. e. Amator ſapientiæ, appellari maluit, poſtque PYTHAGORAM ceteri.

(*a*) *CICER. III. Offic. 1.*
(*b*) *FICINUS in Sophiſt.*
(*c*) *PICUS de Hominis Dignitate T. 1. p. 320. f.*

minum conſenſione [Not. 1.], INTELLECTUS dicitur.

§. XV.

Percipere igitur Rem, ut in ſe eſt, vel minus, eſt Intellectûs (§. *XIV.*).

§. XVI.

Sed Ea, qua volumus, aut nolumus, agimus, vel non agimus, volentes autem, vel nolentes, agentes, vel non agentes, liberi ſumus, VOLUNTAS (*p**).

(*p**) *Parag. 1. Inſtitut. de Jur. Perſonar. & VINNIUS hic not. 5.*

§. XVII.

Quia nil volitum, quin præcognitum [*ex Experientia, vulgatoque proloquio* (*q*)]. Prior ergo ſeſe exſerit Intellectus Voluntate (§. §.*XIV. XVI.*); prior ergo Intellectus Voluntate ſpectandus.

(*q*) *VVOLF. Bar. 930. Pſycholog. Empiricæ.*

§. XVIII.

Quum percipere Rem, ut in ſe eſt, ſit Intellectûs (§.*XV.*), Et Veritatem invenire ſit percipere Rem, ut in ſe eſt (§. *VII.*); Veritatem invenire eſt Intellectûs (*r*).

(*r*) *PLATO in Philebo. CICERO de Offic. 3.*

§. XIX.

Quandoquidem Veritatum Inveſtigatori

ſit

ſit curæ cordique oportet ante omnia inventio Veritatis [*ex term.*], Philoſophus autem eſt Veritatum Inveſtigator (§. *XIII.*); Philoſopho ſit curæ cordique oportet ante omnia inventio Veritatis: Quæ quum ſit Intellectûs (§.*XVIII.*); ſit illi curæ cordique oportet ante omnia Intellectus. Hic autem, nullis inſtructus Regulis, identidem a Veritate aberrat [*exp.*]; ſit ergo Philoſopho curæ cordique oportet ante omnia Intellectum his Regulis inſtruere, nempe Logica [*Philoſophor. Conſ.*]

§. XX.

Quum itaque Logicâ ad inquirendam Veritatem inſtruamur (§. *XIX.*); eſt equidem Schola Veritatis Inquirendæ (*s*).

(*s*) *PLATO in Philebo.*

§. XXI.

Eſt Naturalis Logica, & Artificialis. Illa eſt vis, nobis indita divinitus, ad Verum inveniendum, judicandumque idonea (*t*), ſcilicet Intellectus (§.§. *XIV. XVIII.*): Hæc ſunt Leges, Studio & exercitatione comparatæ, quæ Naturalem diſtincte explicant, juvantque (*u*). Sine Naturali logica muta eſſemus Animantia, ſine Artificiali vero triviales homines (*x*).

(*t*) *PSALMO IV. 7.*

(*u*) *WOLF. Proleg. Log. not. ad Parag. 11. 17.*

(*x*) *Id. ib. Parag. 19.*

Digitized by Google

§. XXII.

Artificialis (§.*XXI.*) eſt Docens, & Utens. Illa canones effert ad Verum inveniendum (*z*): Hæc iiſdem utitur in eundem finem? Et de Prima Philosophiæ Parte dictum eſt (*y*).

§. XXIII.

Quoniam Logica eſt Schola Veritatis inquirendæ (§.*XX.*); expletâ Logicâ, Veritates inquirendæ inquirantur denique neceſſe eſt. Vanus enim eſſet ſine ſecundo labore primus, ut eſt in perſpicuis. Quum autem inquirendarum Veritatum duo ſint ſumma Capita, Corpus, & Spiritus [*Philoſopher. Conſ.*]; expletâ Logicâ, Corporis, Spiritusque Veritates ſunt inquirendæ.

§. XXIV.

Spiritus (§.*XXIII.*) eſt Subſtantia una, ſeu ſimplex, Intellectu, & Voluntate prædita (§.§.*XIV.XVI.*); actuoſa ergo, ſuique ſibi conſcia. Substantia Nobis eſt Subjectum eorum omnium, quæ Enti inſunt 5. Ens, vel

B RES

5. Substantia eſt Wolfio §. 768. Ont. Subjectum perdurabile, & modificabile. Ens autem, quod modificabile non eſt, Accidens Peripateticis autem (*d*), & Clerico (*e*) eſt Ens, quod per ſe ſubſiſtit, & ſuſtinet Accidentia. Quæ quidem Definitiones Creaturis congruunt, Creatori repugnant (*f*).

(*z*) *Id. ib. Parag. 26. ad 28.*

(*y*) *Adiſis FACCIOLATUM in Rudim. Log. Protheor. 1.*

[*d*] *Apud WOLFIUM Parag. 771. Ont.*

[*e*] *In Arte Critica T. 1. P. 2. C. 3. Parag. 1. p. 184. Londini 1698.*

[*f*] *Adiſis CARTESIUM in Meditation. def 5. p. 86. Amſtelodami 1650. & GENUENSIUM Def. 21. Ont. His enim Nos convenimus.*

Digitized by Google

Res eſt Quidquid eſt, ſive Quidquid intelligi vel concipi poteſt (*a*).

(*a*) *Legeſis* WOLF. *Parag.* 134. 243. *Ont.*

§. XXV.

Corpus (§. *XXIII.*) eſt aggregatum Subſtantiarum (§. *XXIV.*), ſive Ens Compoſitum, Diviſibile, Figurabile, Iners, Impenetrabile, Extenſum &c.

§. XXVI.

Corpus, Spiritusque (§. §. *XXV. XXIV.*) ab alio facti dicuntur Creaturæ, & Contingentes.

§. XXVII.

Spiritus infectus eſt Ens Neceſſarium, vel a se, exiſtens videlicet ita, ut non exiſtere non poſſit; ergo Immutabile, Infinitum, Æternum, Omniſcium, Immenſum, Omnipotens, Optimum, Perfectiſſimum, & Creaturarum cauſſa (§. *XXVI.*), h. e. Deus. Totus Animæ, Totus Animi, Totus ſui, ut Plinius loquitur (*b*).

(*b*) *Hiſtor. Nat. II.* 7.

§. XXVIII.

DEUS (§. *XXVII.*) unicus eſt. Contingentium vero Spirituum habes dæmonem, men-

TEM, & quodammodo etiam BELLUARUM ANIMAM (c) 6.

(c) *Legas velim GENUENS. Element. Met. T. III. pag. 407. 408. 417. Neapoli 1762. In Diſſertat. ſc. de Brutorum Anima n. XIX. & poſtremo.*

§. XXIX.

Quamquam Corpus a Spiritu ſit plane diverſum (§. §. *XXIV.* XXV.); æque tamen ſunt Subſtantiæ, Effecta, Creaturæ, Entia, Res (§. §. *Cit. &* §. *XXVI.*).

6. Niſi AUTOMATA eſſe velis Bruta, quod Carteſianum deliramentum eſt (g): Aut MATERIALES Eorundem ANIMAS, quod Veterum barbaries (h): Aut SUBSTANTIAS SIMPLICES quidem, APPERCIPIENTES, minime tamen SPIRITALES, quod eſt Clariſſimi WOLFII §. §. 749. 751. 764. 753. Pſychologiæ Rationalis ludicrum omnino commentum. Nam ideo per WOLFIUM Brutorum Animæ non ſunt Spiritus, quia carent Intellectu, & Voluntate libera §. 764. Pſych. Rat. Ideo carent Intellectu, quia nullæ dantur Operationes Intellectûs, præterquam Notio, Judicium, & Diſcurſus §. 52. Log. lat.; Bruta vero Notionibus, Judiciis, & Diſcurſibus carent §. 760. Pſych. Rat.; ergo Bruta carent Intellectu §. 761. Pſych. Rat. Ideo Bruta carent Notione, quia carent Cognitione Univerſalium §. 760. Pſych. Rat. At WOLFIUS in Logica, cujus §. 52. citavit, per Notionem non intelligit Cognitionem Univerſalium, hanc enim primum intellexit §. 49. Pſych. Empiricæ. Nec poteſt intelligere: Etenim Notio per WOLFIUM in Logica eſt Prima Intellectûs Operatio, quæ nequit eſſe Univerſalium Cognitio, ſed Singularium. Singularium autem Cognitionem Brutis attribuit. Nam Illis vel Apperceptionem concedit §. 75. Pſych. Rat. Ergo & Primam Intellectûs Operationem, vi præſertim Analogiæ, cui ejus ratiocinatio nititur §. 749. Pſych. Rat., Brutis concedat oportet; ergo & Intellectum; adeoque SPIRITALEM ANIMAM. Ideo rurſum carent Voluntate libera, quia carent Ratione. Ideo carent Ratione, quia carent Cognitione Veritatum Univerſalium §. §. 763. 528. Pſych. Rat. Sed etiam Infantes carent Cognitione Veritatum Univerſalium §. §. 458. 459. 461. Pſych. Rat. Ergo Ratione; ergo Voluntate libera; ergo Spiritu: quod eſt dementia.

(g) *Impugnatum MAGALOTTO Epiſtola XI. VVOLF. Par. 749. & ſeqq. Pſychol. Rat. CUDVVORTHO Syſt. Intell. T. I. c. I. Par. XXXVII p. 55. & T. II. C. V. Sect. IV. Par. XXVIII. p. 1152. GENUENS. in Diſſert. de Brutor. Anima n. XII. & ſeqq.*

[h] *Iiſdem Auctoribus, ſpeciatim VVOLF. impugnata.*

§. XXX.

Deus, ceterique Spiritus (§.*XXVIII.*) conveniunt in eo, quod ſunt Spiritus (§.*XXIV.*). At Ille Necessarius (§.XX*VII.*), Hi Contingentes (§.XX*VI.*). Dæmon eſt purus Spiritus. At Mens Organico regendo Corpori deſtinata. Anima tandem Belluarum Ratione caret, & Libertate 7.

§. XXXI.

Corpora omnia in Extenſione conveniunt, Diviſibilitate, Figurabilitate, &c. (§.XXV.). Sed Aſtra lucent, Aquæ fluunt, Tellus eſt opaca, &c; differunt ergo in quibuſdam aliis.

§. XXXII.

Expletâ Logicâ, inquirendæ ſunt hæ, & hac Methodo Veritates, 1.° Quæ Deum ſpectant, 2. Quæ Creaturas, 3. Quæ Mentem, 4. Quæ Belluarum Animam, 5. Quæ Corpora Omnia, 6. Quæ Singula, 7. Quæ Mentem, & Corpus unita, nempe Hominem. Enimvero expletâ Logicâ, Corporis, Spiritûſque Veritates ſunt inquirendæ (§.XX*III.*). Methodo autem Scientificâ (§.X*I.*). Atqui Deus eſt Ens Entium, & Creaturarum Cauſſa (§.XXVII.); Ergo

7. Nonnulla, non demonſtrata, ſumimus; ac ſumere Nobis liceat, poſtulamus, donec propriis locis demonſtrentur.

go 1. Quæ Deum, 2. Quæ Creaturas (§. XXIX.). Inter has eminent Mens, & Belluarum Anima (§. XXVIII.); Ergo 3. Quæ Mentem, 4. Quæ Animam Belluarum. Sed Corpora Omnia ſunt præferenda Singulis, ut Totum Parti; Ergo 5. Quæ Omnia, 6. Quæ Singula (§. XXXI.). Quum denique Compoſitum ſit in ratione Componentium [*ex term.*]; 7. Quæ Mentem, & Corpus unita, nempe Hominem:

§. XXXIII.

Dæmonem (§. XXVIII.), ac Spiritum in genere (§. XXX.) omiſimus. Etenim quæ ſunt Dæmonis diſquirere tantum Theologi poſſunt ex Revelatione [§. *V.* •], & SS. Ecclesiæ PP. Dionysio præſertim Areopagita (*d*) 8. Paucula

8. Leonardus Gambinus, in Regio Catinenſi Gymnaſio Philoſophiæ Prælector, Auctor Opuſculi, cui Tit. *Saggio di Metafiſica, che contiene varie Rifleſſioni ſopra molti intricati punti di queſta Scienza*, *Reflexiones* ſuas feliciſſimus ad Angelos uſque angelico protendit acumine. *Reflexionis* enim XLI. Scopus hic eſt: *Gli Angeli per altro privi di Corpo, devono rappreſentarſi un Corpo Ideale, a cui poter riferire le loro Idee*. Quæ verba mehercule, licet Italica, licet diutiſſime conatus, intelligere non potui. Aut igitur Ego ignorantiſſimus omnium, aut illa abſurdiſſima. Nam quid eſt Corpus Ideale? Corpuſne, non ex Subſtantiis, ſed ex Ideis coëuntibus ortum? Admiranda procul dubio Metaphyſica! Numquid Aëreum? Sed hanc Inſaniam exploſit Angelicus (*i*). An Fabuloſum? Corpus ſcilicet, & non Corpus? Habeo. Ejus autem ratiocinatio huc redit: » Angeli ſibi debent, ob Nexum Univerſi, & Vim Eorundem repræſentativam, Univerſi Ideas comparare. Atqui non diſtinctas, alioquin in Eſſentia, quæ in vi diſtin-

(*d*) *Habert. T. VIII. c. 2. q. 3. De Angelis. Estius in 2. Sentent. diſtinct. 2. Par. 2. p. 16. Berti T. I. L. X. de Theologicis Diſcipl. c. I. Prop. 2. p. 250. Romæ apud Pantheon 1739.*

(*i*) *In Quæſtion. diſputatis Quæſt. unica de ſpiritualibus Creaturis, art. 7. 8. & 5., & I. P. Q. 50. Art. I. & Q. 51. Art. I.*

ctæ

cula autem, quæ de Spiritu in genere prædicantur, inveſtigantur commodius, ubi de DEO, de MENTE, de Belluarum ANIMA.

§. XXXIV.

Quoniam Philoſophia eſt CATENA VERITATUM (§.XII.), ad Philoſophiam attinet commemoratas VERITATES (§.XXXII.) invenire, ac inventas tradere. Nunc ergo Philoſophiæ Pars,

quæ

ſte repræſentandi Univerſum ſita eſt, omnes convenirent, Conſequenter in Attributis reliquis per Eſſentiam determinatis, Eſſent adeo Simillimi, quod eſt abſurdum. Ergo Confuſas. Porro Animantia ob Corpus Organicum Confuſas ſibi comparant Ideas. Ergo ANGELI ob Corpus Ideale ». Nempe GAMBINUS (nec ulla perturbatione, ſed VERITATE, ut ut odium paritura, compulſus eloquor) *Reflexiones* conditurus, non reflectit; a Ratione Sufficiente, Nexuque orſus, ſine Ratione Sufficiente, Nexuque progreditur; Omnia demonſtraturus, nihil probat; Ratiocinaturus, diſcurrit; Extricaturus, intricat; Syſtematis neſcius, plagiarius fuit. Enimvero Præmiſſæ THEOLOGIÆ bellum indicunt (k). Ceterum Minor ſibimetipſi repugnat. Etenim ſi ANGELI Eſſentia ſita eſt in vi diſtincte repræſentandi Univerſum; Ergo ANGELI Eſſentia eſt, ut diſtinctas de Univerſo, non confuſas, ſibi comparet Ideas. Ultima Minoris illatio laborat Suppoſito. Nam præter Eſſentiam, & Attributa ſunt etiam Modi. Modorum autem Diſſimilitudo diſtinctionem facit. Ego quidem, & Tu, & Nobiſcum omnes, qui dicuntur Homines, in Eſſentia, & Attributis convenimus; non ſumus tamen Simillimi, Modorum diſſimilitudine. Quamquam igitur ANGELI in Eſſentia, & Attributis per Eſſentiam determinatis convenire ponantur; non ſunt iccirco Simillimi ob Modorum diſſimilitudinem, quam inferunt abunde NOVENARIUS ORDO, & TRIPLEX HIERARCHIA. Inter Animantia tandem, Corpuſque Organicum, & ANGELOS, Corpuſque Ideale nulla eſt proportio. Quod ſi GAMBINUS Beatiſſimorum Spirituum opem imploraſſet, non ſuas illis confuſas ideas impegiſſet, ſed ab eis lucidiſſimas impetraſſet.

(k) *Legatur* ANGELICUS *1. P. Q. 55. Art. 2. & Q. 57. Art. 1. 2. 5. & Q. 54. Art. 1. 2. 3.* PETAVIUS *T. III. Dogm. L. 1. C. 6. n. 7. p. 20. Antuerpiæ 1700.* ESTIUS *in 2. Sent. Diſt. 7. Par. II. adnot. 2. T. I. p. 63. Neapoli 1720.* FRASSEN *T. IV. de Angelis Tract. I. Diſp. 2. Art. I. Q. 2. Coroll. 3. & 4. p. 70. Venetiis 1744.* TOURNELY *T. 2. P. 2. Q. 3. Concl. 1. ad 5. p. 50. 51.* BERTI *T. I. L. X. de theolog. Diſcipl. C. 9. p. 288.* VINCENTIUS CONTENSONIUS *Theol. Ment. & Cord. T. I. L. 4. Diſſert. 3. c. 1. Special. 2. p. 255. Coloniæ Agrippinæ 1722.*

quæ invenit, traditque VERITATES ſpectantes DEUM, dicitur THEOLOGIA; Creaturas, ONTOLOGIA (Spiritum in genere §.XXXIII; PNEUMATOLOGIA; Dæmonem §. *Cit.*, DÆMONOLOGIA); Mentem, PSYCHOLOGIA; Belluarum Animam, ZOOLOGIA; Corpora Omnia quoad Exordia, nexumque Mundi, COSMOLOGIA: Quæ ſimul METAPHYSICAM componunt; Corpora Omnia quoad proprietates Eorundem generales, PHYSICA GENERALIS; Singula, PARTICULARIS; Hominem, ANTHROPOLOGIA, hæque uno vocabulo PHYSICA 9.

§.XXXV.

Quoniam Philoſophia eſt Scientia Cauſſarum (§.II.), Has autem conſequuntur VIRES, puta Inertiæ, Impenetrabilitatis, Elaſticitatis, Centrales, aliæ [*ex term.*], VIRIUM autem menſura

9. WOLFIUS præterea Diſc. præl. §. 71. numerat TECHNOLOGIAM, h.e. Scientiam Artium, & Operum Artis. §.80. METEOROLOGIAM, Scientiam eorum, quæ in Atmoſphœra generantur, ut ſunt pluvia, Iris, fulgur, Aurora borealis. §. 81. ORICTOLOGIAM, Scientiam Foſſilium, quæ ſunt terræ variæ, ſucci concreti, veluti ſalia, & ſulphur, & lapides, gemmæ, metalla. §. 82. HYDROLOGIAM, Scientiam aquarum, veluti fluminum, Maris, fontium originis, thermarum, & Acidularum. §. 83. PHYTOLOGIAM, Scientiam Vegetabilium. BOTANOLOGIAM, Scientiam herbarum. DENDROLOGIAM, Scientiam arborum, & fruticum. §. 84. PHYSIOLOGIAM, Scientiam Corporis Animati. PATHOLOGIAM, Scientiam Corporis Ægroti. §. 85. TELEOLOGIAM, Scientiam de Finibus. At hæ ſubdiviſiones illarum (§.XXXIV.) ſunt, quas ideo attulimus, ut nihil deſit eorum, quæ ſint noſtro Philoſopho profutura.

Digitized by Google

ſura eſt MATHESIS [*Philoſophor. Conſ.*]; Philoſophiæ Culmen eſt MATHESIS. MATHESIN, inquit WOLFIUS, hujus ætatis Philoſophorum ſine controverſia princeps, propter duas rationes & diligere, & commendare ſoleo. Primum ob mirificam, qua in demonſtrando utitur, Methodum. Deinde propter optimas doctrinas, quæ ad ſolidiorem Cognitionem Naturæ, Artiumque, & in omni Vita humana præſentiſſimum habent uſum.. Cum Filippo Melanctone ſic ſentio, neminem, qui MATHESIN diligenter non didicit, poſſe ulla de re ſolide, accurateque diſſerere. Hactenus ille (*e*).

[*e*] *Compend. Element. Matheſ. Univerſ. præf. p. VII. Genevæ 1742.*

§. XXXVI.

Novemdecim idem WOLFIUS ibidem (§. XXXV. *e*.) mathematicas enumerat Diſciplinas. 1. eſt ARITHMETICA, notiſſima Numerorum Scientia, 2. GEOMETRIA, Scientia metiendi Spatium, juxta longitudinem, latitudinem, & profunditatem a Corpore occupatum. 3. TRIGONOMETRIA, Angulorum, Triangulorumque Scientia. 4. ALGEBRA (*f*), Arithmetica Univerſalis, ut in Metaphyſica Ontologia (§. XXXIV.). 5. MECHANICA, Scientia ingentem movendi, & erigendi molem Virium, temporiſque compendio. 6. HYDROSTATICA, Scientia actionis Fluidorum in gravitatem Corporum. 7. AEROMETRIA, Scientia Aërem metiendi. 8. HYDRAULICA Scientia Fluidorum, præſertim Aquarum.

[*f*] *Quam ille in Compendio expendit poſtremo, ſed in Elementis priore loco.*

9. OPTI-

9. OPTICA; Scientia Viſibilium; quatenus Viſibilia ſunt ope lucis radiorum directe in Oculos illabentium. 10. CATOPTRICA, Scientia Viſibilium ope Speculorum. 11. DIOPTRICA, Scientia Viſibilium, quatenus videntur per radios lucis, ex Aëre in Vitrum, vel Aquam tranſeuntes, adeoque refractos. 12. PERSPECTIVA, Scientia delineandi Objectum, quale in data diſtantia, & altitudine Oculo apparet. 13. ASTRONOMIA, Scientia Orbis univerſi, ac ejus phænomenorum. 14. CHRONOLOGIA, Scientia tempus metiendi, & diſtinguendi. 15. GEOGRAPHIA, Scientia figuræ, & magnitudinis Telluris. 16. GNOMONICA, Scientia ubilibet ſolare Horologium delineandi. 17. PYROTECHNIA, Scientia Ignium, & Inſtrumentorum bellicorum. 18. ARCHITECTURA MILITARIS, Scientia loca muniendi, ut pauci contra multos obſides ſe defendere poſſint. 19. ARCHITECTURA CIVILIS, Scientia ædificia Mente concipiendi, & juxta eam Mentis ideam conſtruendi Ædificium, ut Scopo ædificantis ex aſſe reſpondeat. * Principem vero locum ſine dubio tenent ARITHMETICA, GEOMETRIA, & ALGEBRA, ſine quibus nec Recentiorum Phyſica (§.XXXIV.), nec reliquæ mathematicæ diſciplinæ intelligi ullo modo poſſunt.

§. XXXVII.

Hactenus INTELLECTUI (§.§. XVIII. XIX. XXII. XXXIV. XXXVI.): ſupereſt, ut VOLUNTATI (§.§. XVI. XVII.), in quam omnes intendendæ curæ, ne in eligendo Bono, fugiendoque Malo peccet, conſulamus. Eique profecto conſulimus PRACTICA, ſive MORALI [*Philoſophor. Conſ.*]. Hæc WOLFIO (g) conſtare dicitur PRACTICA UNIVERSALI, quæ tradit Principia generalia, unde theoria, & praxis actionum liberarum; JURE NATURÆ, docente, quænam actiones ſint bonæ, quænam malæ; ETHICA, dirigente Hominem, ut homo eſt; POLITICA, ut Civem; ŒCONOMICA tandem, ut eſt in Societatibus Minoribus, quæ ſunt PATERNA, CONJUGALIS, & HERILIS 10.

(g) *Diſc. præl. Ph. rag. 69. 70. 68. 64. 65. 63. 66. 67.*

§. XXXVIII.

Ex his omnibus quatuor diſtinguere Cogni-

10. Sed CHRISTIANAM MORALEM, ſinceris, ſacris, divinis THEOLOGIÆ fontibus hauſtam (§. v. a), & Chriſtiani Wolfii, & Ariſtotelis Stagiritæ, & Annæi Senecæ, & Marci Tullii, & quorumque Philoſophorum Morali præferendam ducimus, & amatiſſimis, queis ſcribimus, Adoleſcentibus commendamus, ac, ſi patiantur, imponimus. Non eo dico, quo horum Hominum ſumma Opera homulus ego contemnam; ſed ut ad illam, quæ ſola reformat animum Hominis, Civis, Conjugis, Parentis, Heri, Filii, Servi, MONARCHÆ, Subditi, cujuslibet, alacriter ſuſcipiendam alliciam, atque, ſi liceat, impellam Juvenes noſtros, qui nonniſi HEINNECCIOS, VOETIOS, WOLFIOS perſonare didicerunt.

gnitiones poteris, HISTORICAM, PHILOSOPHICAM, MATHEMATICAM, & MORALEM. HISTORICA eſt Effectuum, PHILOSOPHICA eſt Cauſſarum (§.II.), MATHEMATICA eſt Quantitatis, Viriumve (§.*XXXV.*), MORALIS eſt eligendorum, fugiendorumque Cognitio (§.*XXXVII.*) (*h*). Sed *Moralem* WOLFIUS prætermiſit (*i*), quum præterire aliquid maximum vitium in dividendo ſit (*k*). *

§. XXXIX.

Quandoquidem Philoſophia eſt Divinarum, Humanarumque Rerum Scientia (§.*II.*); Res, de quibus nuper, ad Philoſophiam pertinent, tamquam Partes ad Totum ſuum. Conſtat igitur LOGICA (§.*XIX.*, *& ſeqq.*), METAPHYSICA (§.*XXXIV.*), MATHESI (§.§. *XXXV. XXXVI.*), PHYSICA (§.*XXXIV.*), & MORALI (§.*XXXVII.*). Ergo PHILOSOPHIAM UNIVERSAM brevioribus indicavimus, h. e. EPITOMAM, ut par erat, confecimus (§.*I.*) Itaque

SOLIUS DEI GRATIA,

SOLIUS DEI GLORIA,

LIBRI I.

FINIS.

 SCHO-

[h] *Significatum tamen alio accipiemus infra MORALEM. Nec enim uno termino ſemper una reſpondere poteſt natio.*

[i] *Diſc. prælim. c.*

[k] *CICERO 1. Offic. 2.*

* *Hæc quidem ex definitis Philoſophiæ partibus ſequuntur. Quod ſi Cognitionem omnem ad totius humanæ Sapientiæ Fontes, h. e. ad Experientiam, quæ eſt Senſuum, ad Rationem, quæ eſt Mentis, ad Fidem, quæ eſt Auctoritatis [de quibus tractabimus ultimoque Libro] cum eruditiſſimo Juvene, VINCENTIO MANGO, quem amoris, honoriſque cauſſâ nomino, perpetuo referat; triplex erit, HISTORICA, nempe Senſuum, RATIONALIS, nempe Mentis, & MORALIS h. e. Auctoritatis [Par. XXXVIII. h.]*

SCHOLÆ

VERITATIS INQUIRENDÆ

LIBER II.

DE IDEA, ET VOCABULO.

PROLOGUS.

§. I. PRIORIS evoluti Libri ſufficiens ratio §.I.proſtat. Poſteriorum Quinque Librorum hoc eſt Argumentum. Statim, ac, ejulantes ex utero Matris egreſſi, hunc Mundum ingredimur, ſubito Senſus noſtri, nunc omnes, nunc ſinguli, ab externis Corporibus afficiuntur vel læſione quadam, vel, ut ita dicam, titillatione. Hunc quemcumque motum per Nervos, ceu per oſcillantes Chordas, ad Cerebrum deferunt, imprimunt, & impreſſum, quotandemcumque modo, exprimit INTELLECTUS, h. e. percipit [§.*XIV.L. I.*(*a*)]. Quid-

(*a*) *BOERHAAVE Oeconom. Anim. Parag.* 566. 567. *ad* 570. & *ſeqq. CARTESIUS P. P. Principior. Philoſoph. XIV. p.* 16. *WOLFIUS* ... 111. ... *Pſych.* ... & *Par.* ... & ... *I. A*- ... 2. *p.*

Quidquid ex perceptione oritur, vocatur IDEA [*Philoſophor. Conſ.*]: utque paullatim, ac ſigillatim augentur impreſſiones in Cerebro, ita in Intellectu Perceptiones, & IDEÆ. Has ergo potes appellare prima Stamina VERITATIS (*§.VII.L.I.*).

§. 2. Quoniam Logica eſt Schola Veritatis (*§.XX.L.I.*), cujus prima Stamina ſunt Ideæ (§.1.); primum IDEAS explicare debet. Rurſum, Logica dirigit Intellectum, inquiſitioni Veritatis operam dantem (*§.XIX.L.I.*), Hujus Prima Operatio eſt Perceptio, vel IDEA (§.1.); Ergo primum IDEAS explicare debet.

§. 3. Anniculus, bimuſve puer, jam referto nonnullis Ideis Intellectu, ſua partim Voluntate, partim Parentibus, vel Domeſticis illectus, incipit pedetentim Vocibus conceptas Ideas enuntiare, h. e. VOCABULA proferre [*exp.*].

§. 4. Ergo 2.° Logica de VOCABULIS agat neceſſe eſt (§.§. 3. 2.)

§. 5. Ut vero quotannis, adoleſcente toto Pueri Corpore, adoleſcunt perficiunturque Organa Senſoria, ita creſcunt in Intellectu perceptiones, & Ideæ. Imo, quaſi ipſemet etiam creſceret Intellectus [11], acuitur certe Intellectiva Vis. Quare nedum impreſſiones Rerum in Cerebro (§.1.) percipit ſingulas, ſed

[11] In quod quum inquirere ſollicitius nollent, aut non poſſent inepti Homines, turpiſſimo ſe inquinarunt Materialiſmo.

Digitized by Google

ſed binas quoque, trinas, quaternas inſpicit, & inſpectas haſce cum illis confert, & collatas jungit porro, vel ſeparat. Fac, ut Calami Ideam conceperit, & Auri. Utraſque Intellectus inſpicit, confert, tandem ſeparat Auri Ideam a Calamo, negans videlicet Aurum eſſe Calamum. Quam interim negationem Idearum, ſeu alterius ab altera ſeparationem, JUDICIUM voca NEGATIVUM [*Conſ.Hom.*]. Fac rurſum, ut Mellis, & dulcedinis, & flaveſcentis Ariſtæ Ideas conceperit Intellectus. Tres omnes inſpicit, confert, & jungit denique affirmans, Mella Flava eſſe, & dulcia. Hanc tu Idearum Unitatem JUDICIUM voca AFFIRMATIVUM [*Conſ.Hom.*]. Prima igitur Intellectûs Operatio eſt Idearum ex perceptione Conceptio, altera extemplo conſequens JUDICIUM [*Exp.*]

§.6. 3.° Igitur Logica de JUDICIO (§§.5.4.)

§.7. Porro quemadmodum vix conceptas Ideas enuntiare conamur (§.3.), haud aliter concepta Judicia (§.5.). Enuntiationes autem Idearum ſingularum ſingulis, aſſociatarum, h.e. Judiciorum [§.*Cit.*], aſſociatis Vocabulis fiunt, nempe PROPOSITIONIBUS [*Conſ.Hom.*]. Si ex. gr. Mella flava eſſe, & dulcia ſolum Intellectus affirmat, Judicium habes. Si vero & Intellectus affirmat, &, Voluntate imperante, Lingua vocibus explicat, Judicium in Intellectu habes, & in Ore PROPOSITIONEM. In-

ter-

terna itaque Idearum unio, vel ſeparatio Judicium conſtituit, externaque earumdem manifeſtatio PROPOSITIONEM [*Philoſophor.Conſ.*].

§.8. 4.° Igitur Logica de PROPOSITIONE (§§.7.6.).

§.9. Si ſeptennis Puer judicare poteſt, annum certe quartum ſupra decimum, vel duodeviceſimum agens, & prompte recteque judicat, & ex notis ignota proferre. Jam olim ex.gr. Titii animo fixum erat immotumque hoc Judicium: Litteras æque diviti, ac egeno in omni vita prodeſſe: Se quoque divitem eſſe judicarat; ex utroque hinc infert Judicio, Sibi etiam Litteras in omni vita profuturas. Quo ſane conſilio ſublimiores Scientias aggreditur. Scias nunc velim, hanc ex duobus illationem RATIOCINIUM eſſe [*Conſ.Hom.*]. Experimur itaque vel in Nobis, vel in ceteris, Mentem, Judicia jam, & Propoſitiones fundentem, mox RATIOCINARI.

§.10. 5.° Igitur Logica de RATIOCINIO (§§. 9.8.).

§.11. Quandoquidem conceptam Ideam enuntiamus Vocabulo (§.3.), conceptumque Judicium Propoſitione (§.7.), conſtat vero tribus Judiciis Ratiocinium (§.9.); Ratiocinium ergo enuntiaturi tribus Propoſitionibus indigemus, nempe SYLLOGISMO [*Philoſophor.Conſ.*], ita, ut, quod in Intellectu eſt Ratiocinium, ſit in Ore SYLLOGISMUS. En SYLLOGISMUS: Lit-

teras

teræ Diviti proſunt; ac Egeno: Titius eſt dives. Ergo & Titio proſunt Litteræ.

§.12. 6.• Igitur Logica de SYLLOGISMO (§§. 11.10.) [12].

§.13. Juvenis, undevigeſimum, vel primum & vigeſimum agens annum, Ordine quodam differit [13]; non modo videlicet ratiocinatur, ſed Methodo, & Arte ratiocinatur, poſtponenda poſtponens, præmittenda præponens, apte ornateque ORATIONEM conficiens, ut confici melius poteſt Naturali Logica (§. *XXI.L.I.*), Hominumque Commercio.

§.14. 7.• Igitur Logica de ORATIONE (§§. 13.12.).

§.15. Quartum denique, & vigeſimum, plus, minus, agens annum, nedum Orationem conficere, ſed & DISPUTARE valet, & ſuas ſcilicet

12. Nota ergo tres INTERNAS OPERATIONES Senſuum, & Mentis, & totidem EXTERNAS Mentis, & Senſuum. INTERNÆ ſunt PERCEPTIO vel IDEA, JUDICIUM, RATIOCINIUM. Dicuntur & Senſuum, & Mentis: Senſuum, quia primo eorum eſt, Res Mundi Cerebro ſculpere; Mentis, quia dein ejuſdem eſt Sculpturas illas percipere, Ideaſque ſibi cudere, judicare, ratiocinari. EXTERNÆ ſunt VOCABULA, queis Ideas; PROPOSITIONES, queis Judicia; SYLLOGISMI, queis Ratiocinia manifeſtamus. Dicuntur Mentis, & Senſuum: Mentis, quia Mente imperante hæ Manifeſtationes fiunt; Senſuum inde, quia Menti imperanti parent Senſus, Lingua præſertim, unde Voces.

13 Quo quidem tempore SACRIS ab ECCLESIA, Columna, & Firmamento VERITATIS (I. ad Tim. III 15.), initiatur ORDINIBUS. Ut hinc videas, Veritates Veritatibus conſonare.

licet aſſertiones proponere, & ab Adverſantium conatibus vindicare [14].

§. 16. 8.° Igitur Logica de DISPUTATIONE agat neceſſe eſt (§.§.15.14.). [15].

§. 17. At idem hoc Argumentum (§.1.*ad* 16.) ita perbreviter demonſtrari poteſt.. Quoniam Naturalem Logicam Artificialis diſtincte explicat (§.*XXI. L.I.*); Naturalis autem ab IDEIS ad VOCABULA pergit, ad JUDICIA, & PROPOSITIONES, ad RATIOCINIUM, & SYLLOGISMUM, ad ORATIONEM, DISPUTATIONEMque (*Exp.*); Ergo & Artificialis. [16].

14. Quo rurſus tempore ab ECCLESIA ad ſummum Ordinis apicem, h. e. SACERDOTIUM promovetur, quo & DOGMATA propugnare poteſt, & repugnantes vincere. Enimvero » ſi difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris . . . venies . . ad SACERDOTES » . DEUTERONOM. XVII. 8. 9.

15. OCTO igitur OPERATIONES dinumerari poterunt, tres Internæ Senſuum, & Mentis, tres Externæ Mentis, & Senſuum (*Not.* 12.), duæque INTERIUS-EXTERNÆ (*a*) ORATIO, & DISPUTATIO (§.§. 13. 15.) Mentis, Senſuumque, magnopere, unàque agentium (*Exp.*). At Antiquitas cum WOLFIO §.§. 52. 53. *Log.*, omiſſis Externis, ſolum Internas: gregarii vero quidam Internas, & Methodum meminere.

(*a*) *In Verbis etiam tenuis, cautuſque ſerendis,*
Dixeris egregie, notum ſi callida Verbum
Reddiderit junctura novum. HORAT. *Art. poët. pr.*

16. Prolixa hæc ſunt, dicet aliquis. At ego tyronibus ſcribo, non Viris doctis. Et vulgaria. Modo ſint Vera, mea nihil refert, ſint ſublimia, an vulgaria. Ceterum omnes Scientias ortum a notitiis Vulgi trahere notavit WOLFIUS ad §. 30. *Log.* Nempe non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem cogitamus, & ſpecioſa dehinc forte miracula promemus. HORAT. *in Art. ſup. med.*

PARS I.

DE

IDEA*

Par. 1. Prolegi

§. I.

AGEDUM hanc Partem de IDEA, quatuor inquirens, expediam, 1.° QUID SIT, 2. QUOMODO ORTA, 3. QUOTUPLEX, 4. QUINAM IDEARUM AD VERITATEM RECTUS USUS (§·XX. *L.I.*).

§. II.

1.°, & 2.° (§.I.)

IDEA EST IMAGO REI PER SENSUS IN CEREBRO, ET IN MENTE [§. 1. *Prol.*]. Enimvero quum Solem intuemur, Globus lucidiſſimus, extra Nos, procul longe, noſtris obverſatur Oculis, & obverſatur porro, quotieſcumque velimus, licet in eundem Oculos non intendamus (*Exp.*). Aut ergo aliquid per Oculum in Cerebro, ac Mente ponendum, quo Sol, quum

quum velimus, tanquam Globus lucidiſſimus, extra Nos, procul longe, noſtris obverſetur Oculis, aut nihil. Si nihil; ergo aliquid ex nihilo, quod eſt abſurdum [*Per Principium Ontologiæ* §. *XXIV. L. I.*]. Si aliquid; vel ipſiſſimus Sol, vel Solis Imago. Non Sol, ut patet. Ergo Solis Imago. Quidquid autem de Sole diximus, de Luna, de Stellis, de quovis alio pari ratione dicendum; Omnis igitur Idea eſt Imago Rei per Senſus in Cerebro, & in Mente. 17.

§. III.

Si Res non cernimus ipſas extra; ſed Imagines intra Nos (§.II.); Cur, de Imaginibus nil plane conſcii, conſtanter Res extra Nos, ſive abſentes ſint, ſive præſentes, videre

17. Ergo Senſus comparare potes SCRIBÆ, Impreſſiones Rerum in Cerebro CHARACTERIBUS, Mentem percipientem OCULO LEGENTI. Senſus itaque, quæ ſunt in Mundo, ſcribunt in Cerebro, ut hinc Cerebrum ſit inſtar LIBRI, admirandis Rerum Characteribus inſigniti, quem INTELLECTUS, DEO edoctus, ſtudioſe legens, Rerum earundem ſibi comparat IDEAS. Quemadmodum igitur ſine Libro Oculus non legit quidquam, pariter nec ſine Cerebro Intellectus; & contra. Quemadmodum rurſus temporis injuriâ, aut alio deletis vel omnino, vel propemodo Characteribus Libri, Oculus, utut ſuperſtes, utut eruditus, vel omnino, vel propemodo non poteſt legere: Similiter temporis injuriâ, aut alio deletis vel omnino, vel propemodo Characteribus Cerebri, Intellectus, utut ſuperſtes, utut linceo perſpicacior, vel omnino, vel propemodo non poteſt legere, & hinc non intelligere, non ſapere. Sui tamen eſt ſemper, & apprime Conſcius, nam Sibi ſemper adeſt.

dere videmur? (*Exp.*). Difficillima objectio, quam, niſi mihi, anxie VERITATEM inquirenti, VERITAS SUMMA, DEUS, quem enixe rogo, ſpecialiter adſit, explicare non valeo. Si me in Speculo cernam, non mei Imaginem, ſed Imaginis nil plane Conſcius, me penitus ipſum videre videor (*Exp.*); & tamen non me, ſed mei Imaginem video [*Conſ.Hom.*]. Cujus ratio eſt, perfecta Imaginis cum Exemplari ſimilitudo. Etenim quum in marmore, vel tela Statuam, vel Effigiem intueor, non Statuam, vel Effigiem, ſi ſit Exemplari ſuo ſimilis, ſed Exemplar ipſum videre videor, Statuæ, vel Effigiei nihil, aut fere nihil conſcius, nil certe ſollicitus (*Exp.*). Quum ergo Rerum Imagines, SENSIBUS, & MENTE, Penicilli, Scalpri, omniumque Inſtrumentorum longe præſtantiſſimis, elaboratæ, ſint Rebus ſimillimæ, Res videre videor, quum Imagines videam, ac ita perinde eſt, ſive Res, ſive Imagines, ſive utraſque, ſive alterutras videam. Quamquam vero tota viſio in perangusta Speculi ſuperficie fiat, hàc quum ſim, illac me video extra Speculum in diſtantia (*Exp.*). Si igitur in Oculo, Cerebroque ſint Specula, ut ſunt (*a*), Artificialibus excellentiora; hàc quum ſint ſimulacra Rerum, Mens illac videt extra ſe in diſtantia, ubi Res ſunt; & unde illa prodierunt. Quum denique ſit in Cerebro viſcoſa Subſtantia, Impreſſionum

(*a*) *CAMPAIL-LA Adamo XVIII. 10.*

tena-

tenaciſſima (*b*); Mens Res, etiam abſentes, in Imaginibus tandiu videt, quandiu hæ ſunt, & cum iiſdem relationibus, ac primum [Not.17.(*c*)]. Si VERA Hæc ſunt, DEI ſunt; DEO igitur mecum gratias age.

§. IV.

Sed inter VISUM, ceteroſque SENSUS illud eſt diſcriminis, quod Viſûs Objecta, ceu Ædificia in *Camera Optica*, Cerebro imprimuntur (*d*), per Intellectum exprimenda [Not.17.], & Voluntatis imperio reditura (*Exp.*). At ea reliquorum non ita. Videlicet pulſant Organa, ſonum ſentio. Deſinat hic ſonus; hunc rurſus eundem mihi ſiſtere non potero, fere, ac ſi nunquam ad Aures, meumque Cerebrum appuliſſet. Roſâ Naribus admotâ, odorem ſentio: remotâ, Odorem illum eundem mihi ſiſtere non potero, fere, ac ſi nunquam Naribus admota fuiſſet meis. Edo piſcem, Saporem ſentio; ſed ubi Ventrem adiit, periit. Sic de Calore dicito, ſic de Frigore, Fame, Siti, Dolore, Voluptate, ſimilibus.

§. V.

HOBBES vocavit Ideas inania in Ore Hominum Vocabula. Pluribus hoc dogma AUCTOR COGITANDI refellunt (*e*), & CUDWORTHUS (*f*). Ego binis verbis: Si Ideæ nil aliud

(*b*) *CAMPAILLA XVIII. 11.*

(*c*) *Ceterum Opticæ, Catoptricæque ſtude., Par. XXXVII. L. 1.*

(*d*) *MURATORIUS de Viribus Phantaſia.*

(*e*) *P. & Cap. I. pag. 6. Verſionis Italicæ.*

(*f*) *Syſtem. Intell. T. II. C. V. Sect. I. Parag. 108. Sect. IV. Par. 20. & MOSHEMIUS in hunc locum.*

Digitized by Google

aliud eſſent, quam inania Vocabula; Qui novit igitur HOMERUM, VIRGILIUMque legere, aut ſtatim, aut nunquam intelligeret. Alterutrum qui affirmet, molendus uſque in piſtrino, vapulandus, habendæ compedes (*g*).

(*g*) *Utor TERENTIO in Phormione* 1. 5.

§. VI.

Quoniam Idea eſt Imago Rei per Senſus in Cerebro, & Mente (§.*II.*); In Ideæ origine prima confluunt actiones Rei, Senſûs, Cerebri, Mentiſque, h.e. α SENSATIO, [*Philoſophor.Conſ.*]. β At actio Cerebri tantum, & Mentis, quum Ideæ Voluntatis imperio redeunt (§.*IV.*), IMAGINATIO dicitur (*h*). γ Nobiliſſima Mentis actio PERCEPTIO (*i*). δ Perceptionis autem perceptio APPERCEPTIO. ε Perceptio tandem ſine Judicio [§.5.*Prol.*] SIMPLEX PERCEPTIO, vel APPREHENSIO vocatur [*Philoſophor.Conſ.*].

(*h*) *De qua paullo aliter BOERHAAVE Oeconom. Anim. Parag.* 582. 583.

(*i*) *Legeſis FICINUM in Theaetetum m.*

§. VII.

ζ. Quoniam ſcilicet Mens eſt Intellectu prædita (§§.*XXVIII.XXIV.L.I.*), Ineſt autem Intellectui vis repræſentativa (§.*XIV.L.I.*); hujus eſt Impreſſiones Cerebri [Not. 17.] exprimere, ſibique repræſentare. Et hæc expreſſio dicitur Nobis PERCEPTIO (§.*VI.γ.*), quam, ut Effectus Cauſſam, conſequitur IDEA (§.*II.*). Quemadmodum enim Viſionem Oculi conſequi-

ſequitur impreſſio Cerebri, a Viſione diſtincta: ita Mentis viſionem, h. e. PERCEPTIONEM, conſequitur IDEA, a Viſione diſtincta (*k*).

2. Quandoquidem porro in Infante Mens ſigillatìm ſibi cudit Ideas, quas jungere, vel ſeparare nequit, nempe judicare (§§.1. &5.*Prol.*); Simpliciter percipit (§.*VI*.1.). *Ab Actu* autem *ad Poſſe tenet Conſequentia* [*ex vetuſto Axiomate*], ſcilicet Quod eſt eſt poſſibile [*ex term.*]; SIMPLEX ergo PERCEPTIO eſt poſſibilis (*l*).

3. Eſtne ſemper Vera? Affirmat DUHAMELIUS in Philoſophia Burgundica (*m*). LOCKIUS autem neque veram, nec falſam dicendam eſſe defendit (*n*). Atqui non ſemper eſt vera. Etenim Remus in Aqua percipitur, ut fractus (*Experientiâ Viſûs*). Eſt autem Integer (*Exp.Tactûs, Mentiſque Ratiocinio*). Hæc itaque Perceptio non eſt vera (§.*VII.L.I.*). SIMPLEX ergo PERCEPTIO non ſemper eſt vera. 4. Quod ſi Perceptio non ad Rem, vel Ideam, ſed ad Impreſſionem Cerebri referatur [*Not.* 17.]; ſemper eſt illi omnino conformis, nempe vera. Sicut enim non eſt in poteſtate Oculi Characteres legere hujus Scripti [18]: ita nec in poteſtate Intellectûs, qui eſt Mentis oculus [*Not. cit.*], impreſſiones Cerebri

(*k*) *Quod eſt pro* GENUENSIO *&* MALEBRANCHIO *contra* ARNALDUM, *&* ANTONIUM *A* CAVIS, *Fratrem noſtrum, Metaphyſ.Tract. I. P. 2. c. 5. p.* 138. *Vide* GENUENSIUM *Propoſ.* 30. *Pſych. & ej. Sch. & Log. L.2.c.5. per tot.*

(*l*) BAUMEISTERUS *Not. ad Par.* 62. *Log.*

(*m*) *Log. p.*364. *Venetiis* 1730.

(*n*) *De Intellect. Hum. L.* 11. *c.* 33. *Par.* 3.

18. Eſt autem in arbitrio Legentis; at renitente Oculo, & Conſcientia (*Exp.*)

rebri 19. Quod eſt pro DUHAMELIO contra LOCKIUM ex LOCKIO (o).

(o) *De Intellect. Hum. L. II. c. I. Par. 25. p. 75. Lipſiæ 1758.*

κ. Quum ſæpe Perceptio ad ſemetipſam attendat, ſui ſibi conſcia (*Exp.*), ſeque ergo percipiat (*ex term.*); datur APPERCEPTIO [§. *VI.* ᵟ. (*p*)].

(p) *VVOLFIUS Parag. 27. 24. Pſych. Emp.*

λ. Quum denique percipiamus quæ ſunt Organis præſentia, & abſentia, ac illa primum (*Exp.*); datur SENSATIO, & IMAGINATIO (§. *VI.* α. β.), ac illa prior. Quum Patriæ Muros, exempli ergo, Forum, Templa, Amicos, Parentes, alia, Oculo perluſtras tuo, SENTIS. Quum abſens abſentem Patriam Mente, Cerebroque perluſtras, IMAGINARIS. Sic quum infelix DIDO ab ÆNEA

Iliacos iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore,

SENTIT.

Poſt ubi digreſſi, lumenque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos,
Sola domo mœret vacua, ſtratiſque relictis
Incubat, illum abſens abſentem auditque, videtque,
ÆNEID. IV. 78-80.

IMAGINATUR.

§. VIII.

Eſt autem Imaginatio (§. *VI.* β. §. *VII.* λ.) duplex, ORDINATA, quæ eſt ea Vigiliæ ex Volunta-

19. Eſt quodammodo in arbitrio Voluntatis; at repugnante Intellectu, & Conſcientia.

luntatis imperio: & INORDINATA, quæ eſt ea ſomni, phreneſeos, deliriique, Libertatis excuſſo jugo.

§. IX.

Ex Imaginatione, & Senſatione [§§.*VI. VII.VIII.*] orta LEX illa præclara: Si Res Senſibus occurrat, etſi pauxillulum abſenti, olim præſenti, ſimilis, illico hæc tota recurſat (*Exp*). Sed hæc hactenus.

§. X.

3.° (§. I.)

Quoniam Idea eſt Imago Rei (§.*II.*); Totuplex eſt, vel eſſe poteſt Idea, quotuplex Res.

§. XI.

Res Una, Singularis, Omnimode determinata (*q*), Diverſimode determinanda (*r*), donec exiſtit in hoc, quem cernimus, Terrarum Orbe, eſt Nobis INDIVIDUA, vel INDIVIDUUM.

(*q*) *h. e. Undique finita, terminata. Adiſis* BAUMEIST. *Par.128.Ont.*

(*r*) *h. e. aliis afficienda Modis. Adiſis* BAUMEIST. *Par.132.Ont.*

§. XII.

Res omnis in hoc, quem cernimus, Terrarum Orbe eſt INDIVIDUA, vel INDIVIDUUM. Patet aſſerti Veritas tum *ex terminis*

minis (§.*XI*.), quum eunti per Exempla. Calamus, quo ſcribo, in duos ſecari non poteſt, nec ejuſdem duplex eodem tempore mihi ſiſtitur Idea; eſt igitur Unus. Eſt quoque diſtinctus non modo a quavis alia Re, ſed a tuo etiam, quo uteris. Nam hic meus ſine tuo & eſt quod eſt, & exiſtit; eſt itaque Singularis. Enimvero *hujus* anſeris erat pluma. *Huic* alæ adhærebat. *Hic* raptor ejus fuit, *hoc* loco, & tempore. *Hoc* Atramentarium, *hoc* eſt Atramentum, quibuſcum fuit. *Meum* eſt Inſtrumentum. *Has*, *illas*, *hic*, *ibi* impreſſit notas. *Centenas* paſſus eſt inciſuras. *Hi* ſunt colores ejus præciſe, *hæc* figura, *hæc* magnitudo, *&c.* Quæ quidem quum vaga non ſint, ſed fixa ac terminata omnia; eſt Omnimode determinatus. At alias, me ſoſpite, mecum in his, illiſve paginis, his, illiſve plagis Scriptiones efficiet. Poſt hæc projicietur, avolabit, conteretur, diſſolventur ejus partes, in minimas reſolutus ſubtiliſſimaſque Atmoſphœram petet, in tonitrum, fulmen, pluviamve converſus decidet. Ac ita porro. Aliis igitur afficiendus Modis, donec exiſtit in hoc, quem cernimus, Terrarum Orbe, Diverſimode ergo determinandus; eſt itaque Individuum (§.*XI*.).

Et Cajus itidem ſecari nec cogitatione poteſt: Eſtque diſtinctus a te, a me, a quocunque: Nec tui, meive indiget, ut ſit quod eſt; eſt igitur Unus, & Singularis. Porro *hi*

Geni-

Genitores ejus fuere. *Hæ* Parentum, Aſtrorum, Elementorum, Loci, Temporis, Sitûs Circumſtantiæ omnes ad CAJI conceptum, hinc augumentum in Utero, inde demum egreſſum concurrentes. *Hoc* lacte nutritus eſt, & *tandiu*, & *ibi*. *Hi* præciſe vagitus ejus fuere, *hi* ludi, *hæc* Dicta, Facta, Studia, *hi* Præceptores, *hi* Cibi, Potuſque. *Hæc* illi Mens eſt, *hoc* Ingenium, *hæ* Venæ, *hæ* Arteriæ, *hæ* Fibræ, *hi* Muſculi, *hæc* Oſſa, *hæc* Fluida, *hæc* Viſcera, *hæc* Valetudinis ratio, *hæc* Organa, *hæc* Vox, *hic* Vultus, *hæ* Vires, &c. [20]. Denique donec exiſtit in hoc quem cernimus, Terrarum Orbe, temporum, locorum, fortunæ, ingenii, valetudinis, ætatis viciſſitudinibus eſſe obnoxium, tandem interiturum, Spiritu ad DEUM redeunte, Cor-

20. **Hæc, forte plus æquo, ſtudio tamen ducta ſunt, ut pateat, acutiſſimum eſſe, Rerumque Naturæ, nave, non ductarie, inſpectæ, apprime conſonum INDIVIDUATIONIS PRINCIPIUM, quod SUBTILISSIMUS THEOLOGORUM SCOTUS *Hecceitatem* dixit. Barbara vox, ſed vera. Veruntamen non barbara, ſi vera. *Hecceitatem* porro, ut INDIVIDUATIONIS PRINCIPIUM non horruit, ſed publice defendendam ſuſcepit in URBE, ſcilicet ORBE, litteratiſſimus omnium JOANNES PICUS, Mirandulæ, Concordiæque Princeps, ſextoque recenſuit loco inter XXII. ſecundum JOANNEM SCOTUM (*a*). „ Perſona, inquit ANGELICUS (*b*), in quacunque Natura ſignificat id, quod eſt diſtinctum in Natura illa. Sicut in Humana Natura ſignificat *has* Carnes, & *hæc* Oſſa, & *hanc* Animam, quæ ſunt PRINCIPIA INDIVIDUANTIA Hominem „. Eſt autem WOLFIO (*c*) „ Omnimoda Determinatio Eorum, quæ Rebus inſunt „. Hoc ſonantius. Equidem fateor. At non verius.**

[a] *T. I. pag. 66.*
[b] *I. P. Q. 29. Art. 4. in Corp.*
[c] *Par. 75. Log. & 229. Ont.*

pore vero, utut athletico, pulcherrimoque, in fœtorem, in vermes, in pulverem, hac parte deflendum magis, quam demonſtrandum eſt. Quum ſit ergo Unus, Singularis, Omnimode determinatus, Diverſimode determinandus [*ex præcedentibus*]; eſt Individuum (§. *XI.*). Conſtat autem, eâdem inſtituta perdiligenti inquiſitione, omnem Rem aliam eſſe hujuſmodi; Res igitur omnis in hoc, quem cernimus, Terrarum Orbe, eſt Individua, vel Individuum 21.

§. XIII.

21. Leonardi Gambini (*Not.*8.) *Reflexio* XI. eſt: » Omne Ens, ut exiſtat, ſit Individuum, Omnimode determinatum oportet [*d*]. Eſt hoc Axioma Fundamentale, a quo multæ Veritates pendent, nemini revocatum in dubium, cujus tamen adhuc producta non eſt ſolida, evidenſque probatio. Sed eccam porro ſolidiſſimam ex germanæ Logicæ Principiis deductam. Ut Propoſitio dicatur Vera, neceſſe eſt, ut per Ideam Subjecti Prædicatum poſſit oſtendi: ut judicetur Falſa, expedit ab Idea Subjecti excludi Ideam Prædicati. Propoſitio igitur, cujus Subjectum non repugnat Prædicato, nec per idem demonſtrabile, neque vera, neque falſa poteſt judicari: in ea nec affirmari Prædicatum poteſt, neque negari. Ob Contradictionis Principium hujuſmodi Propoſitio exiſtere nequit. Ergo Ens, in cujus Idea continetur, exiſtere nullo pacto poteſt. En nos in caſu Entis Indeterminati. Hujus nequit affirmari, nec ulla negari ex determinationibus determinantioribus, Individuantibuſque. Concluditur adeo, Ens Indeterminatum, Ens Genericum eſſe impoſſibile ». Nova, peracuta, & concinna *Reflexio*! Enimvero quum dicitur, omne Ens, ut exiſtat, eſſe debere Individuum, h. e. Omnimode determinatum, τὸ Omnimode determinatum quid eſt Gambino? Undiquene finitum? An totum *in actu*? Si primum; ergo DEUS non eſt Ens omnimode determinatum, contra *Reflexionem* ejus XLVII. Si Secundum; Ergo omne Ens, ut exi-

[*d*] *Wolfius Par.* 226. *Ont. Baumeist. Parag.* 159. 160. *Ont.*

§. XIII.

INDIVIDUUM ergo conſtat Implexu Determinationum (*s*) innumerabilium, necdum abſoluto, abſolvendo dumtaxat in extremo Orbis excidio, tum ſcilicet, quum Rerum viciſſitudines occidunt (*t*), Eodem in duobus minime poſſibili (§.*XII.*) 22.

[*s*] *h. e. Proprietatum, & Circumſtantiarum, & Relationum, quæ Rem undiqueverſum contrahunt, terminant, finiunt.*

(*t*) *PS. CI. 27. 28. I. COR. XV. 53. 54. I. THESSALONIC. IV. 15. 16. APOC. XXI. 1. & TIRIN. hic. & Not. 3.*

§. XIV.

exiſtat, ſit DEUS oportet, Vel ab Entibus finitis Facultates exulent, & Potentiæ, & Vires, quia ſunt indeterminatæ (*e*). Sed ejus probatio in hoc vertitur: Propoſitio, nec Vera, nec Falſa, non exiſtit, per Principium Contradictionis. Ergo Ens, hujus Propoſitionis Objectum, non exiſtit. Atqui Propoſitio, cujus Objectum eſt Ens Indeterminatum, Ens Genericum, nec Vera eſt, nec Falſa. Ergo Ens Indeterminatum, Ens Genericum non exiſtit. Nego Minorem, proba. Ceterum Propoſitio » Ens, ut exiſtat, ſit oportet Individuum » Vera eſt GAMBINO. Hujus autem Objectum eſt Genericum, ut patet. Ergo Ens Genericum exiſtere, ex GAMBINO contra GAMBINUM infertur. Tandem ſi Propoſitio » Ens, ut exiſtat, ſit oportet Individuum » GAMBINO dicitur Axioma, Axioma autem eſt Indemonſtrabile; cur ego queritur, demonſtratum non eſſe? Aut quorſum ſua illa demonſtratio?

(*e*) *BAUMEIST. Par. 131. Ont.*

22. » Sic Ex. gr. hic Cajus, quem vides, eſt Individuum. Occurrunt in hoc Cajo tam multæ Circumſtantiæ, & Determinationes, quæ efficiunt, ut Cajus præciſe ſit hic Cajus, ut non plures accedere queant, quamdiu debeat eſſe hic Cajus. Si enim *VEL MINIMA ACCESSERIT DETERMINATIO*, quæ antea non aderat; tunc *ALIUD INDIVIDUUM EMERGIT*». BAUMEISTERUS ad §. 100. *Logicæ*. Errat hic homo. Alioquin Bucolica canere, inde Georgica, tandem Æneidem, quum aliæ, & aliæ, nec minimæ, Determinationes ſint, alium, & alium Auctorem conſtituerent. PUBLIUS ergo VIRGILIUS ſcribens.

ILLE EGO, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egreſſus Silvis vicina coëgi,
Ut, quamvis avido, parerent arva Colono,

Gra-

§. XIV.

In omni autem Individuo ſunt quædam Determinationes Individuis ceteris, vel omnibus, vel pleriſque, Similes, & quædam Diſſimiles. Patet aſſerti Veritas per Exempla ſuperiora (§.*XII.*). Calamus hic meus Inſtrumentum eſt ſcriptorium, & Anſeris pluma. Sed tuus etiam, & illius, & innumeri ſunt Inſtrumenta ſcriptoria, & anſeris plumæ. At meus eſt, non tuus, nec illius, & hujus præciſe magnitudinis, hujus figuræ, hujuſque mei ſcalpelli librarii hos ictus pertulit, non ita tuus, *&c.* Eſt Cajo Corpus, Mente, & Senſibus inſtructum. At mihi etiam, tibique, ac propemodum infinitis. Sed ille Cajus eſt, ego autem non, nec tu, *&c.* Et hæc Arbor ab illa multum diſtat in omnium Determinationum Implexu (§.*XIII.*), & ſeorſim quoque in Determinationibus quibuſdam diſcretu facillimis, puta Coloris, Magnitudinis, Texturæ, Loci, Sitûs, *&c.* At tum iſta, quum illa creſcunt, frugeſque gignunt. Et hic Leo Unus eſt, & hic alter Unus, & in omnium Determinationum Implexu, & in quibuſdam extra

Gratum opus Agricolis, at nunc horrentia Martis
Arma, Virumque cano, &c. I. ÆNEID. *pr.*

(*f*) *Lege* LOCK. *L.* II. *de Int. Hum. C.* 27. *Par.* 3. *ad* 8.

ſplendide mentiretur.

Iſta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte ſenilis erit. I. TRIST. VII. 18.

Et tamen vel ſenex, vel juvenis non aliud es Individuum [*Conf. Hom.* (*f*)].

extra Implexum hic ab illo diverſus. Sed Uterque rugit, fortis Uterque, ac ambo pares in Organica Corporis ſtructura. Et ſic porro.

§. XV.

Omne igitur Individuum conſtat Implexu Determinationum Innumerabilium, Similium, Diſſimiliumque (§§.*XIII.XIV.*).

§. XVI.

In omni tandem Individuo, dum quædam Determinationes uſque ad præfinitum tempus conſtanter inſunt, quædam aliæ ſic inſunt, ut non ineſſe poſſint, perpetuoque mutantur. Illas ESSENTIALIA vocamus, Has ACCIDENTIA, vel MODOS (*u*). Dum CAJO, exempli cauſſa, MENS uſque ad præfinitum tempus ineſt conſtanter unita CORPORI ORGANICO, ſive VITA, SENSUS, RATIO, h. e. *Animalitas*, ut loquuntur, & *Rationalitas*; Forma, Robur, Valetudo, alia, non item.

(*u*) *Legeſis* VVOLF. *Par.* 54. 672. & *ſeqq. Log.*

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo:
Nec violæ ſemper, nec biantia lilia florent,
Et riget amiſſâ Spina relicta roſâ. OVIDIUS *de Art. am. L. II.*

§. XVII.

Digitized by Google

§. XVII.

Omnis Idea in origine prima eſt Individualis. At inde per Legem Imaginationis, & Abſtractionis abit in Universalem. Etenim omnis Imago Rei Individuæ eſt Individualis [*ex term.*]. Sed Omnis Idea in origine prima eſt Imago Rei (§.*II.*) Individuæ (§.*XII.*); omnis igitur Idea in origine prima eſt Individualis. Q. E. I.

Jamvero Individuum omnino primum, tuis Senſibus præſens, ſit Genitor tuus; oritur in te Genitoris Idea (§.*II.& Not.17.*): hinc Frater tuus, Quoniam Individuum conſtat Implexu Similium, Diſſimiliumque (§.*XV.*), ad Diſſimilia attendens, Similibus aut non occurrentibus animo, aut cogitate neglectis, oritur in te Idea Fratris ab illa Genitoris diſſimilis (*ex term.*), contra ad Similia attendens, Diſſimilibus Abſtractione divulſis, una Idea duos, & Genitorem, & Fratrem tibi ſiſtit (§.*IX.*): inde Patruelis, ad Diſſimilia attendens, oritur in te hujus Idea ab Ideis illorum aliena, ad Similia vero, una Idea tres, & Genitorem, & Fratrem, & Patruelem tibi ſiſtit (§§.*cit.*): poſtea Amicus, ad Diſſimilia attendens, diſſimilis in te oritur Idea, ad Similia autem, una Idea quatuor, & Genitorem, & Fratrem, & Patruelem, & Amicum tibi ſiſtit: denique Civis, hic,

ille,

iſſe; centum; ad Diſſimilia attendens, diſſimilis in te oritur Idea hujus, illius, centum; ad Similia vero, una Idea quinque, ſex, centum, multaque tibi Siſtit Individua (§§.*cit.*); ut hæc igitur ſit Idea ſimilitudinis Multorum. Sed Idea ſimilitudinis Multorum eſt UNIVERSALIS (*Ex term.*). Idea ergo per legem Imaginationis, & Abſtractionis abit in UNIVERSALEM. Q. E. Alterum.

§. XVIII.

Ergo IDEA UNIVERSALIS eſt Convenientia, vel Similitudo Multorum in una, altera, pluribuſve Determinationibus, Mente, Lege Imaginationis adjutâ, comparante, & abſtrahente, ſuborta (§.*XVII.*).

§. XIX.

Similitudo Individuorum in Eſſentialibus omnibus (§. *XVI.*) eſt SPECIES [23], ut HOMO (*Conſ.Hom.*). Mens noſtra videlicet [24] inter in-

23. WOLFIO §. 44. *Log.* & 233. *Ont.*, & Interpreti ſuo BAUMEISTERO §. 105. *Log.* SPECIES eſt Similitudo Individuorum dumtaxat. Quum vero omnia in Mundo ſint Individua (§.XII.), & omnia in aliquo ſimilia (§.XV.); Similitudo omnium erit SPECIES. Quo quid abſurdius in Logica, judice etiam WOLFIO §.45. & *ſeqq.* *Log.* & §. 334. & *ſeqq.* *Ont.* & BAUMEISTERO §. 107. & *ſeqq.* *Log.*

24. Aut potius Mens Majorum noſtrorum. Nos enim, ſummis exceptis Philoſophis, abſtractiones illorum, nullo unquam inſtituto examine, nulloque delectu, laxo guttu-re

innumera eligit CAJUM. Cajanis porro Diſſimilitudinibus abſtractione divulſis, ad Similia ſolum cum ceteris, & Eſſentialia attendit, quæ ſunt *Animalitas*, ac *Rationalitas*. Pura putaque hæc vocat HOMINEM 25., & Convenientiam Individuorum in hoc SPECIEM 26.

§. XX.

Similitudo Specierum (§.*XIX.* & *Not.26.*) in Eſſentialibus, ſed non omnibus, eſt GENUS, ut ANIMAL [*Philoſophor.Conſ.*]. Mens noſtra nimirum inter innumeras Species eligit nobiliſſimam, nempe *Hominem*. *Humana* ergo a reliquis diſſimilitudine cogitate neglectâ ad Eſſentialem cum illis ſimilitudinem attendit, quæ eſt *Animalitas*, Specierumque in hac Convenientiam vocat GENUS 27.

§.XXI.

re bibimus; & hinc in Ore ſine Ideis Vocabula, & hinc in Mente ſine mente Ideæ.

25. Purus igitur putus Homo, ſive purum putum *Animal Rationale* ubi eſt? Eſt ne Res Mundi (§§.XII.XIII.XV.), an Idea in mea Mente, ac tua, abſtractione vexatis? Quam ergo cauſſam dicant qui *Naturam Communem a parte rei* defendunt, ex hoc loco poteſt intelligi.

26. SPECIES ergo nobiliſſima eſt HOMO, cujus Individua (§.XI.) *Ego*, *Tu*, *Hic*, *Ille*, *Franciſcus*, *Antonius*, &c. Et *LEO* etiam SPECIES, cujus Individua *Hic*, *Ille*, &c. (*Not.20.*), & *EQVVS*, & *ELEPHAS*, *COLVBER*, *COLVMBA*, *LVSCINIA*, *MVRÆNA*, Innumerabileſque.

27. ANIMAL ergo GENUS, cujus ſpecies *Homo*, *Leo*, &c.

§. XXI.

Similitudo Generum (§.*XX.* & *Not.*27.) in aliquo Eſſentiali eſt GENUS MAGNUM, ut VIVENS [*Philoſophor.Conſ.* (*x*)]. Mens noſtra videlicet comparans Genus cum Genere, puta *Animal* cum *Arbore*, quoniam *Animal* Vita, Senſuque conſtat, Senſûs diſſimilitudine neglectâ ad Vitam attendit, Generumque in hac Convenientiam GENUS MAGNUM appellat, vel ſimpliciter GENUS 28.

(*x*) *Legeſis* VVOLF. *Par.* 231. 234. *Ont.* & *B.* AUGUSTINI *Categorias decem.Tomo primo Opp. in Appendic. pagina* 21. 23.

§. XXII.

Similitudo Magnorum Generum (§.*XXI.* & *Not.*28.) in Eſſentialibus, vel Eſſentiali GENUS MAJUS, ut CORPUS [*Philoſophor.Conſ.*]. Mens ſcilicet *Plantam* cum *Lapide* comparans, Vitæ diſſimilitudine neglectâ, ad Extenſionem attendit, Impenetrabilitatem, Diviſibilitatem, Figurabilitatem, *&c.*, & CORPUS appellat (§.*XXV.L.I.*), Magnorumque Gene-

&c. (*Not.* 26.) *QUATRUPES* etiam GENUS, cujus Species *Canis*, *Vulpes &c.* *AVIS*, cujus Species *Aquila*, *Paſſer &c.* *PISCIS*, cujus Species *Capito*, *Lucius &c.* *ARBOR* cujus Species *Ficus*, *Ulmus &c.* *FLOS*, cujus Species *Lilium*, *Viola*, *Narciſſus*. *HERBA*, cujus Species *Ocymum*, *Serpillum*, *Thimus*, *Amaracus*. *METALLUM*, cujus Species *Aurum*, *Argentum*, *Hydrargyrum*, *Cuprum*, *Ferrum*, *Stannum*, *Plumbum &c.*

28. VIVENS itaque GENUS MAGNUM, Cujus Genera inferiora *Animal*, *Quatrupes*, *Avis*, *Piſcis &c.* [*Not.*27.]. *PLANTA* Cujus Inferiora *Arbor*, *Flos*, *Herba*. *LAPIS*, Cujus Inferiora *Gemma*, *Marmor*, *&c.*

rum in hoc convenientiam Genus Majus; vel ſimpliciter Genus brevitate ſermonis.

§. XXIII.

Similitudo Majorum Generum (§.*XXII.*), ut Substantia (§.*XXIV.L.I.*), in qua Corpus, Spiritusque conveniunt (§.*cit.& XXV. L.I.*), Genus Maximum, vel Genus.

§. XXIV.

Tandem Similitudo Maximorum (§. *XXIII.*) in Determinationibus, vel Determinatione aliqua, ut Ens (§.*XXIV.L.I.*), in quo Ens *a ſe*, & *ab alio* (§.*XXVII.XXVI.L.I.*), Subſtantia, Eſſentialia, Modi, Omnia conveniunt, Genus Generum. Ac ita invaluit Abſtractio, ut, Individuis (§.*XI.*) ægre nimium Popello, Hiſtorico, Poëtæ, & Oratori relictis, Genera, Speciesque verſemus 29.

§.XXV.

29. De Individuis, Speciebus, Generibuſque Divinarum Rerum locuti (§.*XI.& ſeqq.*), de Rebus Humanis ita loquendum (§.II.*L.*I.). *TAUROMENIUM*, exempli cauſſa, *CATINA*, *SYRACUSÆ*, *MESSANA*, *PANORMUS*, *NEAPOLIS*, *ROMA*, *Hæc* Urbs, *Illud* Oppidum, *Hic* Pagus ſunt Individua, ſed Humana, ex Divinis conſtructa. Porro Vir Clariſſimus Joannes Baptista Atenasius ortus eſt *TAUROMENII*, hinc *TAUROMINITANUS*. Quum autem in hac Determinatione conveniant Joannes de Joanne, Dominicus di Leo, Franciscus Paladinus, Blasius Spucches, Evagrius, Timæus, Caprì, Theophanes Cerameus Archiepiſcopus, aliique Natalibus, Litteriſque Viri nobiliſſimi, a Mongitore relati in Bibliotheca Sicula;

§. XXV.

Quoniam Idea Univerſalis eſt Similitudo Multorum (§.*XVIII.*); Species, & Genera ſunt Ideæ Univerſales (§.*XIX.ad.XXIV.*); Ergo Genera in Inferioribus, & Hæc in Specie, Species porro in Individuis exiſtit (§§. *cit.& Not.*25.)

§. XXVI.

Quandoquidem Similitudo Specierum eſt Genus, & Similitudo Generum Genus (§.*XX.ad XXIV.*); contra Diſſimilitudo Specierum eſt DIFFERENTIA SPECIFICA 30., Generum GENERICA, Idea conſequenter Univerſalis (§.XXV.).

§.XXVII.

la; *TAUROMENITANUS* eſt SPECIES, & *CATINENSIS* ſimiliter, *MESSANENSIS*, *&c.* Quoniamvero SICILIENSIS convenit *Tauromenitano*, *Catinenſi*, ceteris; eſt GENUS. Quoniam *ITALUS* convenit *Sicilienſi*, *Calabro*, *Neapolitano*, *Romanoque*, GENUS MAGNUM. Et quum *EUROPÆUS* conveniat *Italo*, *Gallo*, *Hiſpanoque*, GENUS MAJUS. Quum denique *MUNDIALIS* conveniat *Europæo*, *Aſiatico*, *Afro*, *&* *Americano*; GENUS MAXIMUM (§.*XIX.adXX*III.) *&c.*

30. DIFFERENTIA Speciei Humanæ a Ceteris (*Not.*26.) eſt compertiſſima, ac Simpliciſſima, nempe RATIONALITAS. At DIFFERENTIA reliquarum a ſe invicem, puta *Equi a Leone*, *Lupi ab Agno*, eſt Senſibus obvia, quam tamen enunciare, niſi prolixo verborum circuitu, neſcimus. DIFFERENTIA autem INTERNA mihi quidem eſt prorſus ignota.

Digitized by Google

§. XXVII.

Quum Similitudo Individuorum in Eſſentialibus omnibus ſit Species (§.XIX.); contra Diſſimilitudo Individuorum in Modis omnibus (§. XVI.) eſt DIFFERENTIA INDIVIDUALIS, vel NUMERICA, quæ eſt *Cajum* inter, *Titiumque*, *hunc*, *illumque Leonem*, *&c.* (§.XI.); Idea ergo Individualis (§.XVII.)

§. XXVIII.

Quia Individuorum Modi ſunt innumerabiles (§§.XVI.XIII.), In Modorum omnium Diſſimilitudine conſiſtit Differentia Individualis (§.XXVII.); Differentia Individualis omnimoda eſt nobis impervia.

At

FORMA, FIGURA, LOCUS, VOX, TEMPUS; PATRIA, SANGUIS,
NOMEN ſunt, quæ non habet inſimul unus, & alter.

§. XXIX.

Quoniam denique Individuum conſtat Implexu Determinationum innumerabilium (§. XIII.), Individua autem ſunt propemodum infinita, ſoli igitur Enti Infinito cognita, nempe DEO (§.XXVII.*L.I.*); Mens noſtra conſulto, ceu ſollers apicula, Eſſentialia ab Individuis abſtrahit, & abſtracta in certas Species, ac Genera diſtribuit (§.XIX.*&ſeqq.*),

ut,

ur, quæ non poteſt ſigillatim noſcere, noſcat ſummatim, conſtanterque.

§. XXX.

4.° (§.*I.*)

Quoniam Idea eſt Imago Rei (§.II.), Res autem omnis Divina, vel Humana (§.II.*L.I.*); Omnis Imago Rei Divinæ, vel Humanæ eſt Idea REALIS, ſecus CHIMÆRICA, vel FICTA (*y*), ut Famæ Idea, quam aureo carmine deſcripſit POETA.

(y) *LOCK. L. II. de Intell. Hum. C. III. Par. I. & Seqq.*

Monſtrum horrendum, ingens, cui, quot ſunt Corpore plumæ,
Tot vigiles Oculi ſubter (mirabile dictu),
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat Cœli medio, Terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti, pravique tenax, quam nuncia Veri.
ÆNEID. IV. 181., & *ſeqq.*

§. XXXI.

Quia præſtat Somno Vigilia 31., Dormire

31. VIGILANS vocatur ille, in quo Organa Senſuum, externorum, internorum, tum Inſtrumenta motuum voluntariorum ſic ſe habent, ut motus conſuetos exerceant facile, ab objectis facile affici queant. SOMNUS ille ſtatus medullæ cerebri, in quo Nervi non accipiunt a Cerebro tam copioſum, nec tam fortem influxum Spirituum, ac requiritur eo, ut Organa Senſuum, motuumque voluntariorum facile & expedite ſuas actiones exercere poſſint. BOERHAAVE *Œconom. Anim.* §§. 589. 593.

Digitized by Google

re Naturæ ſubſidium; Delirare [32] autem & furere Naturæ defectus eſt, non Natura [*Conſ. Hom.*]; Idea Vigilantium, Sobriorumque NATURALIS, ſecus PHANSTATICA. PHANTASTICIS profecto agitatus Ideis irâ JUNONIS HERCULES, Lucem ex tempore, tenebraſque confundens

..... Sed quid hoc? (exclamavit) Medium diem
Cinxere tenebræ, Phœbus obſcuro meat
Sine nube vultu. Quis diem retro fugat
Agitque in ortum? Unde tot Stellæ Polum
Implent diurnæ. *&c.* HERCUL. FUR. *IV. I.* *939., & ſeqq.*

Simili peſte inficiuntur ſomniantium Ideæ. Eſt enim Somnus

Frater duræ languidus Mortis,
Veris miſcens falſa, futuri
Certus, & idem peſſimus Auctor. HERC. FUR. *IV. II.* *1069.*

§. XXXII.

Quandoquidem Idea eſt Imago Rei (§. II.), Res autem quælibet una eſt & diſtincta a quavis alia (§.XII.); oportet, ut Rei cujuslibet Idea ſit una & diſtincta a quavis alia, Singuliſque Rebus Singulæ reſpondeant Ideæ. Quum Singulis Rebus Singulæ reſpondent Ideæ, poteſt oppido Mens Rem unam ſic percipere, ut

a

32. DELIRIUM eſt Idearum ortus non reſpondens externis cauſis, ſed internæ Cerebri diſpoſitioni una cum judicio ex his ſequente, & animi affectu, motuque Corporis inde ſequente: atque quidem per gradus auctis, ſolitariis, vel combinatis varia deliriorum genera fiunt. BOERHAAVE *de cognoſc. & curand. Morb.* §. 700. *Legeſis eandem ibidem* §. 701. *& ſeqq.*

a ceteris internoſcat, Singulaſque a Singulis. Porro quoties Mens iis gaudet Ideis, ut Rem cum Re non miſceat, ſed facillime Rem a Re diſtinguat, dicitur gaudere CLARIS Ideis [*Conſ.Hom.*]. Quemadmodum tunc appellamus CLARUM DIEM, quum facillime videmus, & diſtinguimus a ſe invicem Corpora. Ergo CLARA Idea eſt, qua Rem ita percipimus, ut a quavis alia ſecernamus, Rerumque CLARIS is fruitur Ideis, qui Res a Rebus expedite diſtinguit. His igitur haud dubie fruebantur Eloquentiſſimus Oratorum CICERO, & Ciceroniani LACTANTIUS, ac HIERONYMUS, Dulciſſimus Latinorum TERENTIUS, Facillimus Poëtarum OVIDIUS, Subtiliſſimus Philoſophorum WOLFIUS, Præclariſſimus Theologorum ANGELICUS.

§. XXXIII.

Contra qui Rem ita percipit, ut eam nequeat a quavis alia internoſcere, Reſque cum Rebus temere commiſcet, OBSCURIS defatigatur ac decipitur Ideis. Nam & OBSCURUM tunc dicimus DIEM, quum vix Corpora videmus, nec Corpus a Corpore diſtinguimus [*Conſ.Hom.*]. Infantes recentes a partu, Ebrii, Amentes, Delirantes ſunt miſeri in ſtatu Idearum OBSCURARUM, h. e. *in Umbra Mor-*

 tis

tis. Quicunque curſim ſine Attentione ea legunt, OBSCURIS Ideis onerantur, nempe operam ludunt. Quum

> ... Domus interior gemitu, miſeroque tumultu
> Miſcetur, penitusque cavæ clangoribus ædes
> Fœmineis ululant, ferit aurea ſidera clamor
> ÆNEID. *II*. 484.,

tum ibi OBSCURÆ tantum Ideæ locum habent. Itaque, niſi adhibeatur Attentio (Not. 33.), & præcaveamus, ne plura ſimul Objecta Senſus, Mentemque obruant; OBSCURIS ſemper & vanis implicabimur Ideis 34.

§. XXXIV.

Quia Tenebræ in Mundo ſunt Luminis carentia, Lumen autem Id, quo Corpora Oculus videt, & Corpus a Corpore ſecernit: Tenebræ ſimiliter in Mente ſunt OBSCURITAS, Lumen

33. Si Voluntas in Senſorio communi, & in partibus illi efficaciter cohærentibus retinet eum ſtatum, qui oritur ex actione diſtincti & vividi Objecti: aut ſi actiones omnium aliorum Objectorum accurate cohibet, & priorem ſolam retinet, hæc ejus actio vocatur ATTENTIO, cujus effectu Idea diſtincta, CLARA, vivida, diu præſens habetur, quæ proinde mater eſt SCIENTIÆ, utpote optima ad hanc parandam via. BOERHAAVE *Oeconom. Anim.* §.564. *Adiſis* WOLFIUM §.237. *Pſych. Empir.*

34. At GAMBINO (Not 8.) Idea OBSCURA dicitur etiam CLARA, h. e. ponitur idem, & tollitur. Etenim *Reflexione* ejus XXXIV. hæc legimus contradictoria Verba: » Idea omnis OBSCURA debet CLARE relationem Rei univerſaliorem repræſentare ». Cujus ratio hoc abſolvitur Enthymemate: » Idea OBSCURA non eſt Nihil. Ergo debet CLARE relationem Rei univerſaliorem repræſentare. » Ut miros propterea feſtiviſſimus NICETA ediderit riſus.

Lumen eſt CLARITAS Idearum [§§. XXXIII. XXXII.(z)]. Mens igitur eſt illuminata, ſi CLARIS Ideis affluit.

(z) *VVOLF. Par. 15. 36. Pſych. Empir. LOCKIUS L. IV. De Int. Hum. C. XIX. Par. 13. pagina 279. Tomo II.*

§. XXXV.

Quandoquidem Res differt ab alia ob Determinationes, vel Specificas, vel Genericas, vel Numericas (§§.XXVI.XXVII.); Si has percipis, oritur in te Idea Clara (§.VII.ξ,&c §.XXXII): Si & percipis, & cum aliis communicare voce, vel ſcripto poteris; Clarior, five DISTINCTA, ſecus CONFUSA (*Ex term.*)35. Rerum omnium Humanarum (§.II.*L.I.*), Matheſeos (§.XXXVI.*L.*I.), Moralis (§.XXXVII.*L.I.*), Juriſprudentiæ (§.*V.L.I.*), ſimilium, Ideas DISTINCTAS acquirere in noſtra eſt poteſtate. At quarumdam Divinarum (§.II.*L.I.*), puta Colorum, Saporum, Odorum, & quæ ſunt ejus generis (§.I*V*.), etſi velimus, non poſſumus [*Exp.*].

§. XXXVI.

Si Idea ita diſtinctâ polles (§. XXXV.), ut Rem, cujus eſt (§.II.), in omni circumſtantia a quavis alia diſcernas, exempli cauſ-

 sâ

35. At WOLFIO §§.38.39.*Pſych.Empir.*Si in re percepta plura ſigillatim enunciabilia diſtinguimus, Perceptio Clara dicitur DISTINCTA. Si plura ſeparatim Ennunciabilia non diſtinguimus, Perceptio dicitur CONFUSA. *Legeſis eundem* §. 77. ad 102. *Log.* & BAUMEISTER. §. 64. ad 97. *Log.*

ſâ Arborem & vere quum floreſcit, & æſtate, quum eſt frugifera, & hyeme, quum fronde, flore, fructibus orbatur, tum denique, quum reciſa aridaque eſt, a ceteris Arboribus internoſcas; eſt COMPLETA, qua DIDONEM ÆNEAS etiam, ut eſt in fabulis, apud Inferos recognovit (*a*); aliter INCOMPLETA (*Ex term.*).

(*a*) ÆNEID. VI. 445. & ſeqq.

§. XXXVII.

Demum ſi nihil ſit in Re, cujus tu Completâ non excellas Ideâ (§.XXXVI.), ADÆQUATA, ſecus INADÆQUATA (*Ex term.*). ADÆQUATAS Individuorum Ideas nobis comparare non poſſumus (§.*XIII.*), Univerſalium poſſumus (§. XVII.), Generum ſcilicet, ſi ad Species attendamus, Specierum, ſi ad Individua (§.XXV.); ad quod Lexica omnis generis conferunt 36.

§. XXXVIII.

Dici ſine ſumma imperitia, impudentiaque

36. Qui itaque de' Re non inquirit primo, ſitne Divina, an Humana (§.11.L.1.), inde Singularis, an Univerſalis (§.XVII), & hæc Genericane, an Specifica (§.XIX. & *ſeqq.* & Not. 29.); ADÆQUATAS acquirere non vult, ſed vel Obſcuras Ideas (§.XXXIII.), vel ſine Ideis Nomina (*g*). Quod ſi omnes Hominum Ideæ non ſint, niſi pauciſſimæ, & Ontologicæ tantum, inter ſe *combinatæ*, quæ inſedit GAMBINO (Not.8.) ſententia (*h*); Hujus ergo Filii, vel quiſquis eſt in trivio puer, delibatis Ontologicis BAUMEISTERI Definitionibus, & Arte *combinandi* breviſſima illa PAULINI, totius humanæ Sapientiæ apicem attigit; in Heroum ergo numerum relatus eſt!

(*g*) *Adiſis* CLERICUM *Art.Critic.T.I.P.II.C.VIII. Par.* 3. *p.* 107. *Londini* 1698.

(*h*) *Reſl-xione VIII.*

que non poteſt, nullas noſtræ Mentis Ideas eſſe Rebus omnino conformes. Etenim dici ſine ſumma imperitia, impudentiâque non poteſt, nulla Pictorum, Sculptorum, Typographorum, aliorumque Exempla eſſe Rebus omnino conformia [*Conſ.Hom.*(*b*)]. Magis ergo dici ſine ſumma imperitia, impudentiaque non poteſt, nullas noſtræ Mentis Ideas eſſe Rebus omnino conformes (§.*III.*) 37.

(*b*) *Lege* *PLINIUM* *Hiſtor. Natur.* *XXXV.* 36. 9. *& ſeqq.*

§. XXXIX.

Ergo aliquæ noſtræ Mentis Ideæ ſunt Rebus omnino conformes (§.XXXVIII.)

§. XL.

Realibus, Naturalibus, Claris, Distinctis, Completis, & Adæquatis Ideis jure recteque utimur ad Logicam Rerum Veritatem. Ideis enim, omnino Rebus conformibus, jure recteque utimur ad logicam Rerum Veritatem (§.*VII.L.I.*). Sed aliquæ noſtræ Mentis Ideæ ſunt Rebus omnino conformes (§.XXXIX.), non quidem Chimæricæ (§.XXX.), Phantaſticæ (§.XXXI.), Obſcuræ (§.XXXIII.); ergo [quid enim ſupereſt?] Reales (§.XXX.), Naturales (§.XXXI.), Claræ (§.XXXII.), Diſtinctæ (§.XXXV.), Completæ

(§.XXXVI.

37. Gambinus autem (*Not.*8.) dixit (*i*). Qua tandem ratione? Hac; „ Mentis Ideæ non ſunt Adæquatæ. Ergo Rebus minime conformes „. Propudium!

(*i*) *Reflexione VII.*

Digitized by Google

(§.XXXVI.), & Adæquatæ (§.XXXVII.) 38. Atque Primam II.ᵈ L.ⁱ Partem complevimus (§.I.)

S. D. G.

S. D. G.

38. Quoniam Ideæ Confuſæ ſunt Claræ (§.XXXV.), ad VERITATEM inveniendam proſunt (§.XL.), ad cum aliis communicandam non proſunt (§.XXXV.). Et Incompletæ (§.XXXVI.) ad VERITATEM utiles, ſunt enim Diſtinctæ, adeo minimum Claræ (§.cit. & XXXV. XXXII.), non tamen in omni caſu, ſtatu, ac tempore (§.XXXVI.).

Digitized by Google

PARS II.

DE

VOCABULO*

Par. 4. Prol.

§. I.

QUANDOQUIDEM omnis, quæ ratione ſuſcipitur de aliqua Re inſtitutio, debet a Definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur (a); iccirco 1.° quærendum, QUID SIT VOCABULUM, 2.° QUOMODO ORTUM, 3.° QUOTUPLEX, 4. QUINAM VOCABULORUM AD VERITATEM RECTUS USUS (§.XX.*L.I.*).

(a) CICERO I. Offic. Prooem.

§. II.

1.° (§.*I.*)

VOCABULUM EST VOX ARTICULATA, MENTIS IDEAM APERIENS. Patet per Experientiam, nec alia hic opus eſt demonſtratione (§.*IV.L.I.*).

§. III.

Vox (§.II.) eſt ſonus, Animalis ore prolatus

Digitized by Google

latus (*b*): Articulata, literis, velut articulis, expreſſa. Latratus itaque Canis, & Pſittacorum ſoni ſunt Voces. At illi non ſunt articulati: hi vero Mentis Ideas non aperiunt; non ſunt ergo Vocabula (§.*II.*).

(*b*) *ARISTOTELES II. de Anima C. 8.*

§ IV.

In Vocabulis ore prolatis tria reperio; VOCEM, SONUM, & IDEAM. VOCE diſtinguo Loquentem a Loquente 39: SONO Vocabulum a Vocabulo 40: IDEA Rem a Re [*I.a Hujus* §. II.]. In Vocabulis, quatenus ſcriptis, STYLUM, & IDEAS agnoſco. STYLO Scribentem a Scribente ſecerno: IDEIS Res a Rebus.

§. V.

Quoniam id, quod præter ſui ſpeciem, quam Senſibus ingerit, quid aliud refert, dicitur SIGNUM [*Conſ.Hom.*(*c*)], Vocabulum porro præter Vocem Articulatam, quam Senſibus ingerit, Ideam refert (§.II.); Vocabulum eſt SIGNUM Ideæ 41.

(*c*) *Lege ſis WOLFIUM Par. 952. & ſeqq. Ont.*

§.VI.

39 Vox in Homine magnam Vultûs habet partem. Agnoſcimus eam prius, quam cernamus, non aliter, quam Oculis, totidemque ſunt eæ, quot in Rerum Natura Mortales, & ſua cuique, ſicut Facies. Hinc illa Gentium, totque Linguarum toto Orbe diverſitas. Hinc tot cantibus, & modulis flexiones. PLINIUS *Hiſtor. Natur.* XI. 51.

40 Nam alium dat Sonum hoc Vocabulum, a quocumque prolatum, vel auditum, etiam non intellectum, exempli cauſsâ TINTINNABULUM, alium FILIA.

41 FRASSEN (*a*), & A BRIXIA (*b*), Viri Clariſſimi, Fra-

(*a*) *Log. Parte 2. Sect. 1. Q. 2.*
(*b*) *Exercitatione 3. Log.*

§. VI.

Signum (§.*V.*) eſt triplex, *Naturale*, *Artificiale*, & *Arbitrarium*. Quod ex eo, quod ſignificat, ortum, *Naturale*. Quod Hominum induſtria ac imitatione, *Artificiale*. Quod eorundem decreto, *Arbitrarium*. Quamobrem Suſpiria ſunt latentis doloris Signa *Naturalia*. Extemporales mutationes vultûs Signa *Naturalia* affectuum, puta pallor terroris, interdum iræ, & rubor pudoris, vel iræ. Fumus *Naturale* Signum Ignis. Et ſic porro. Picturæ autem, Sculpturæ, Opera phrygia, Actores Comici, alia, ſunt Signa *Artificialia*, vel Humana Rerum divinarum [§.*II.L.I.*(*d*)]. Tandem

(d) *PLATO in Sophiſta f.*

Fratres noſtri, affirmant, Vocabula primo Res, hinc Ideas ſignificare. Negant WOLFIUS (*c*), & B. AUGUSTINUS (*d*), & Nos cum iiſdem. Ceterum diſtinctione lis componitur. Si ad Docentem attendamus, hic oppido Ideas ſuas, ſive mentem ſuam de Rebus aperire contendit. Sit adeo Loquela

.. *del Cor meſſaggiera in ogni affetto,*
Interprete fedel dell' Intelletto (*e*).

Equidem Ideæ a Rebus (*I.*^a *H.*§.II.), at Vocabula ab Ideis pendent. Sint ergo Ideæ Signa Rerum, Vocabula Idearum. Ad hæc. Hominis omnia membra loquuntur. Loquitur enim Geſtu, Oculo, Fronte, Naribus, Labiorum contorſione quadam, *&c.*, aut ſponte quidem, aut invite. Tunc autem, vel nunc non Res, ſed conceptas de Rebus Ideas exprimere aut vult, aut cogitur. Et Hieroglyphica quædam

.... *in vece usò di Scritto*
L'antico già miſterioſo Egitto (*f*).

At illis non Res, ſed de Rebus inventa modo Homines latere voluit; modo patere (*g*). Si tamen ad Narrantem attendamus, contra ob contrariam rationem.

(c) *Par* 36. *&* 968. *Log.*

(d) *De Magiſtro C.* 1. *n.*2.*, T.I. Opp. p.* 541.

(e) *CAMPAILLA XIII.*44.

(f) *Geruſalem. Liber. XVIII.* 38.

(g) *LAMINDO Pritanio B. Guſto P.II. C.VI. p.* 100.

dem SACRAMENTA ſunt Signa *Arbitraria* GRATIÆ, JESUCHRISTI Libertate inſtituta.

§. VII.

2.° (§.I.)

Ideæ in PRIMO HOMINE probe conceptæ eundem, ut in data Vocabula prorumperet, ſuapte natura impulerunt. Enimvero quia perceperat conceperatque PRIMUS HOMO fuiſſe Mulierem a Viro ſumtam, *A VIRO VIRAGINEM* appellavit [*GENESIS II.*23.& Not.3.(*e*)]. Ergo illa probe concepta Idea eundem ſuapte natura impulit, ut in Vocabulum *VIRAGO* prorumperet. Quidquid vero de hoc Vocabulo dicitur, de ceteris [*GENES. II.* 19.20.] ſimili ratione dicendum. Ergo Ideæ in PRIMO HOMINE probe conceptæ eundem, ut in data Vocabula prorumperet, ſuapte natura impulerunt.

(*e*) *MALVENDA in hunc locum, & S. HIERONYMUS in Quæſt. Hebraicis in Geneſ.*

*. Ideæ in Brutis qualeſcunque (§.*XXVIII. L.I.*& Not.6.) eadem, ut in datas Voces prorumpant, ſuapte natura impellunt, Equum videlicet ad *hinnitum*, Leonem ad *rugitum*, Elephantem *ad barritum*, Bovem ad *mugitum*, Lupum ad *ululatum*, Canem ad *latratum*, Felem ad *ejulatum*, &c. Multo igitur magis Ideæ omnes in PRIMO HOMINE, Omnipotenti Manu condito, divinitus, probiſſimeque conceptæ [Not.7.], eundem, ut in omnia Voca-

bula

bula prorumperet, ſuâpte naturâ impulerunt.

§. VIII.

Quia Primi Hominis Vocabula ex Idearum natura proruperunt (§.*VII.*); erant ergo Signa Naturalia Idearum (§.*VI.*)

§. IX.

Quoniam Ideæ Primo Homini fuerant divinitus inditæ (Not. 7.), adeoque veræ (§. *XXVII.L.I.& I.ª H.§.XL.*); ergo & vera Vocabula (§.*VIII.*) 42.

 §.X.

42. Erat autem Terra Labii unius, & ſermonum eorundem (*b*) ab Orbe condito uſque ad annum MDCCCIX., quo interlabente, Auctore NEMROD, ſeu JOVE completa eſt poſt fluxum annorum 43. Turris Babel, evectaque ad altitudinem unius leucæ (*i*). „ Deſcendit (igitur) DOMINUS, ut videret Civitatem, & Turrim, quam ædificabant Filii ADAM, & dixit: Ecce unus eſt Populus, & Unum Labium omnibus... Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi Linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem Proximi ſui. Atque ita diviſit DOMINUS ex illo loco in univerſas Terras, & ceſſaverunt ædificare Civitatem... Et idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum Labium univerſæ Terræ „ (*k*). „ S. AUGUSTINUS, ORIGENES, & alii paſſim volunt, diſſectis Linguis in LV. diverſas (ut ex totidem Familiis Poſterorum NOE C.ᵉ X. GENESIS colligit CORNELIUS A LAPIDE) in ſolo HEBER, ejuſque Poſteris, ab eo dictis HEBREIS, cum vera Fide, religione, & pietate manſiſſe PRIMÆVAM Orbis LINGUAM, indeque poſt nominatam HEBRÆAM: in ceteris habitu illius Linguæ prorſus deleto, & novo, promiſcuo, pristiniſſimoque novæ Linguæ, & cuique Genti propriæ divinitus infuſo „ (*l*).

[*b*] *GENESIS XI. 1. & Not. 3.*
[*i*] *PETAVIUS Doctr. Temporum T. II. L. XIII. JACOBUS TIRINUS in Cronic. C. XII.*
[*k*] *GENESIS XI.*
(*l*) *TIRINUS in C. XI. Geneſ. Legeſis & CALMET in eundem locum, & in Diſſertat. Biblic. T. I. P. II. Diſſert. I. BRIANUM VVALTONUM in Biblia Polyglotta Prolegom. I. & III. & JOSEPHUM L. I. Antiquit. 9.*

§. X.

Quandoquidem Vocabula Hominum ab Orbe condito uſque ad annum MDCCCIX. fuerunt illa eadem PRIMI HOMINIS (*Not.*42.); erant vera (§.*IX.*) 43.

§. XI.

Quum Vocabula LINGUARUM LIV, quæ poſt annum Mundi CIϽIϽCCCIX. prodiere (*Not.*42.), fuerint a DEO Hominibus infuſa (*Not.cit.*); erant vera. DEUS enim, qui VERITAS eſt (*JOANN XIV.*6.), nonniſi vera docere poteſt 44.

§.XII.

43. Sed inter PRIMUM HOMINEM, ac Poſteros illud maxime intererat, quod ille primo Rerum Ideas divinitus concepit (*Not.*7.), hinc Ideis conformia peperit Vocabula (§.§. VIII. IX.): at hi primo Vocabula, Patre docente, concipiebant, inde paullatim Ideas, quarum erant Signa (§.V.). Id quod Nos etiam, ſi noſtram, vel aliorum recogitemus infantiam, experti. Itaque quod JCTI diſcrimen ponunt inter Filium Naturalem, ac adoptivum (*m*), fere idem ponendum cenſeo inter Vocabula PRIMI HOMINIS, & Filiorum. Nempe illa erant PROPRII, hæc ALIENI PARTUS. Ratio ſufficiens Vocabulorum Parentis erant ſuæ conceptæ Ideæ, ſed Filiorum auctoritas Patris.

(*m*) *HEINNECIUS Elem. Jur. Par.* 175.

44. Inter PRIMUM HOMINEM ergo, & Poſteros poſt annum Mundi MDCCCIX. hoc aliud intercedebat, quod ille ex Idearum conceptarum impulſu Vocabula peperit (§.VII.), quæ igitur erant Signa Naturalia Idearum (§.VIII.); Hi ex DEI impulſu Vocabula pepererunt (*Not.*42.), queis conceptas jampridem Ideas explicabant; ergo Supernaturalia, h. e. divinitus indita Idearum Signa.

§. XII.

Dicet aliquis: Linguas illas (§.*XI.*) Confuſionem appellat Moses, pœnamque Hominum ſuperbiæ debitam [*Genes.XI.*9.]; quomodo igitur Veræ? Cui prompte reſpondeo. Quia novis imbuti Vocabulis ſeſe mutuo non intelligebant Homines, nec igitur alter alteri quæſitum opus præſtabat; jure Linguarum, operumque turbatum ordinem vocat Moses Confuſionem. Et quia rurſum Hominum ſuperbia hæc erat, ut Turrim culmine ad Cœlos pertingentem conſtruerent [*Genes.XI.*4.], at repentina Linguarum multitudine incœptam Univerſi ſpeculam exterriti deſeruere [*Genes.XI.*8.]; jam certe culpam pœna coæquavit. Quia poſtremo in quaſdam diſtributi claſſes, mirandis diviniſque Vocabulis Ideas, Reſque indicabant (*Not.*42.); erant illæ profecto Ideis, Rebuſque conformes, nempe veræ (§.*VII.L.I.*).

β. At quî fiet, ut Vocabula unius Linguæ diverſa a Vocabulis alterius, tum illa tamen, quum iſta ſint iiſdem Rebus conformia? Eâdem, inquam, ratione, qua Characteres mei, ac tui, alioqui diverſi, ſunt eidem Alphabeto conformes: eodemque modo, quo ſtylus Ciceronis diverſus a ſtylo Senecæ (§.*IV.*), tum ille tamen, quum iſte uni eidemque Latinæ Linguæ conformis eſt.

Quum

Quum enim Vocabula ſint Voces articulatæ Mentis Ideas aperientes (§.*II.*), Uniuſcujuſque autem Hominis Vox ſit diverſa a quavis alia (§.*IV.* & *Not.*39.); mirum non eſt, ſi juxta genium diverſarum Vocum, at earundem in animis Idearum, diverſa, præſertim divinitus, ſint orta Vocabula, & hinc LINGUÆ 45., iiſdem tamen Ideis, Rebuſque conformes.

§. XIII.

Vocabula LINGUARUM omnium noſtræ hujus ætatis, vel ſint PRIMI HOMINIS illa penes HEBRÆOS, vel quæ ad annum Mundi CIↃIↃCCCIX. prodierunt (*Not.*42.), ſunt vera (§§.*X.XI.*); vel quæcunque ſint, ſunt vera, modo a veris Ideis orta (§.*V.*) 46.

§. XIV.

45. Eſt enim LINGUA Vocabulorum Rerum omnium multitudo uni Genti propria. Unam igitur LINGUAM perdiſcere nonne erit multæ operæ & laboris res? Quos itaque appellem, qui, vix pubeſcentes, Italicam, Gallicam, Latinam, Græcamque jactitant? Verboſis ſcilicet adquirunt ſibi famam ſtrophis (*n*). Quod ad me attinet vero,

Il ſaper nella Lingua degli Achei,
Non mi reputo onor, s' io non intendo
Prima il Parlare de' Latini miei (*o*).

46. Per quid potiſſimum aliud ſperas Res ipſas percipere? Nonne per quod conſentaneum ac decens eſt? .... Quod enim aliud eſt ab illis aliud quiddam, non illas ſignificat.... Dic obſecro, nonne jam ſæpe conceſſimus, Nomina, quæ recte ſunt poſita, Similia illorum eſſe, quorum ſunt Nomina, Rerumque Imagines eſſe? PLATO *in Cratylo ex verſ. Ficini p.* 228. *Col.* 2. *ſ. Lugduni* 1570.

[n] *PHÆDRUS l.* 1. *o XIV. a* 4.

[o] *ARIOSTO Satira VI. Vide CICERONEM l. de Finib.* 5. & *l. Tuſculan. pr.*

§. XIV.

„ Etſi quot Linguæ olim fuerint, vel hodie extant, quidam definire audeant, nemini tamen liquere puto, adeoque non magnopere noſtra intereſſe. Quædam tamen inter Linguas nobis cognitas quaſi Cardinales, e quibus multæ aliæ pullularunt, a doctis recenſentur: 1.° Hebræa, unde *Chaldaica*, ſive *Syriaca*, *Chanaanitica*, *Punica*, *Arabica* (quæ hodie omnium latiſſime per orbem propagata eſt), *Armena*, *Æthiopica*, & ex parte *Perſica*. 2.° Græca cum variis ejus Dialectis, tam quinque vulgo notis, quam aliis plurimis, quæ per diverſas urbes, Genteſque Græciæ finitimas, & per varias, ubi Græcorum Imperium vigebat, Nationes extenſa, cum aliis mixta novas Linguas produxit, ut *Ægyptiacam* hodiernam, quæ maxima ex parte ex Græca, & antiqua Ægyptiaca enata eſt. 3.° Latina, ſub qua tum antiqua, & hodie obſoleta Volſcorum, Samnitum, Hetruſcorum *&c.*, tum quæ perfecta erat tempore Cæſaris, Ciceronis, Plinii *&c.*, tum hodierna corrupta ex Gothorum, aliorumque Barbarorum irruptione, ut *Italica* (*f*), *Hiſpanica*, *Gallica* *&c.* 4.° Teutonica, ſive Germanica, unde *Germanica Communis*, *Helvetica* Teutonicæ priſcæ proxima, *Suevica*, *Westphalica*, *Auſtriaca*, *Belgica* per Flan-

(*f*) *De qua tamen legeſis* JUSTUM FONTANINUM *Eloquentia Italica L. II. C. 34. & MURATORIUM Perſ. Poëſ. T. I. L. I. C. 3.*

Flandriam, Barbantiam, Bataviam, aliaſque regiones diſſeminata, & CIMBRICA, ſub qua *DANICAM*, *SVEDICAM*, *NORWEGICAM*, *ANGLICAM*, *GOTHICAM* numerant. 5.ª SCLAVONICA, ſive ILLYRICA, longe per Europam, & Aſiam ſe extendens, ſub qua *DALMATICA*, *MOSCOVITICA*, *VANDALICA*, *CROATICA*, *BOHEMICA*, *POLONICA*, *LITHUANICA*, aliæque ejus quaſi Dialecti. Geſnerus in Mithridate ſexaginta Nationes enumerat, quæ hac LINGUA utuntur, *Cap.* 2. *p.* 62. 6.ª TARTARICA, quæ longe per Septentrionem vagatur, ad quam multæ Europæorum, & Aſiaticorum LINGUÆ antiquæ referendæ, ſi Boxhornio credendum, ut *antiqua* *GALLICA*, & *BRITANNICA*, cujus reliquiæ adhuc in Wallia manent, *HISPANICA antiqua*, *TURCICA &c.* 7.ᵐ addunt quidam CHINENSEM, ab omnibus totius Orbis diſcriminatam, tum Vocabulis, quæ omnia Monoſyllaba, tum Characteribus, qui non litteras, vel voces articulatas Alphabeti, ut in reliquis Mundi partibus, ſed Res ipſas Menti repræſentant, unde illorum numerus a quibuſdam ſupra centum millia extenditur. LINGUA vero hæc, licet hodie in varias diviſa ſit ita, ut unius Provinciæ incolæ alios non intelligant, communibus tamen utuntur omnes Characteribus, quos (utpote a Rebus ipſis deſumptos) omnes legere, & intelligere poſſunt, etiam ea, quæ LINGUA

ſibi

ſibi ignotâ ſcripta ſunt. Cumque ipſi literarum, ſive characterum ſuorum uſum prope diluvium ex certis & indubitatis ipſorum monumentis, & hiſtoriis deducunt (omnes enim mortales, ſolis exceptis Judæis, Hiſtoriæ Gentis ſuæ certitudine, & antiquitate ſuperant), & vix ullam cum aliis Nationibus vel Linguæ, vel morum mixturam habeant, ut qui ex fundamentali & antiqua Lege de exteris in Regnum non admittendis, omnes fere commercium obſtinate rejiciunt, ipſorum Linguam unam ex primævis fuiſſe, quæ in clade Babylonica exorta hodie conſervatur, veriſimile videtur „. Brianus Waltonus *in Biblia Polygnotta T. I. Prolegomeno I. n.* 13. 14.

§. XV.

Vocabula autem omnia reſpectu Noſtrum aut ſunt *Adoptiva*, aut *Naturalia*. Nam omnia primum a Præceptoribus, vivis certe, vel mortuis, ferme, ut Pſittaci ſolent, accepimus [*Exp.*]. At inde (niſi ſemper Pſittaci turpi ſocordia, vel ſtupiditate ſimus) Nos ex Nobis velut per quamdam *emanationem* eructamus, alioſque docemus [*Exp.*]. Tunc autem ſunt *Adoptiva*, nunc *Naturalia* (Not. 43.). Vocabula igitur omnia reſpectu Noſtrum aut ſunt *Adoptiva*, aut *Naturalia*.

§. XVI.

In rudi igitur Auditore ſunt *Adoptiva*, Partus ſcilicet alieni, qui tamen inde in conceptiones abeunt: in docto, acutoque Magiſtro *Naturalia*, Partus ſcilicet proprii. Nam Auditoris vacuam Mentem ingrediuntur, & gravidant. Sed a docti, acutique Præceptoris fœcundata Mente iiſdem fere conatibus egrediuntur, ac Partus ab Utero. Nempe Conceptus, extrinſecus orti, intus perficiuntur: Partus, intrinſecus perfecti, emittuntur 47.

§. XVII.

Quum porro Conceptus ſint in ratione compoſita eorum, a quibus proveniunt; prono alveo fluit, & Partus etiam eſſe in eorundem ratione.

§. XVIII.

Optima ergo pariturus Optima conceπiſſe neceſſum eſt (§.*XVII.*): id quod ſine Optimo Auditoris temperamento, Optimoque Magiſtro (*g*), & improbo omnino labore eſſe impoſſibile quis ibit inficias?

(*g*) *PLATO in Theage, & Euthydemo. MURATOR. B.G P.e 1.a C.7. ERASMUS T.o 1.o Opp. p.a 490. & ſeqq. Lugduni Batav. 1703. ARIOST. Sat. 6. FLEURI Scelta de' Studj Cap. XVII. p.a 75. Ven. 1716.*

§. XIX.

47. Si fœcundum Corpus eſt gravidumque ſeminibus; multo magis Animus, præſtantior Corpore, uberrimus eſt, ſuoſque fœtus inde, ſi recte colatur, ſtatutis temporibus promit in lucem. FICINUS *in Convivium Platonis* C.XII. *p.*275.

§. XIX.

Qui Monſtra concepit, nonne pariet & Monſtra? Monſtra autem concepit quicunque vel impios, vel ineptos perlègit Libros (*b*).

(*b*) *ALPHONSUS DE CASTRO in L.o de Juſta Hæreticorum punitione, de Cauſſis Hæreſum.* *ANTONINUS VAL. SECCHI de Fontibus Impietatis.* MURATOR. B. G. *toto opere.*

§. XX.

Quum denique Omnia in Mundo ſint Individua (1.ª II. §. *XII.*); Conceptus, Partuſque omnes erunt Individui; Similes ergo, Diſſimileſque (§. *XVII.* & 1.ª *H.* §. *XIV.*) 48.

§. XXI.

Vocabula tandem omnia reſpectu Noſtrum ſunt Signa Naturalia Idearum. Sunt enim vel *Adoptiva*, vel *Naturalia* (§. *XV.*), Utraque Partus Idearum Mentis, vel proprii, vel alieni (*Not.*43. & §. *XVI.*), Orti conſequenter ex Ideis Idearumque natura (*Ex term.*); Ergo Signa Naturalia Idearum (§. *VI.*).

48. Intelligendum eſt, duabus quaſi Nos a Natura indutos eſſe Perſonis, quarum una eſt COMMUNIS ex eo, quod omnes participes ſumus Rationis... Altera autem, quæ proprie SINGULIS eſt attributa. Ut enim in Corporibus magnæ Diſſimilitudines ſunt (Alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere; itemque in Formis, aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem), ſic in Animis exiſtunt etiam majores varietates. CICERO I. *Officior.* 31. *Adiſis* PLINIUM *Hiſtor. Natur.* VII. 12.

§. XXII.

[i] *Verſ. 60. & ſeqq.*

Scripſerat Horatius in Arte (*i*):

Ut Silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita Verborum vetus interit ætas,
Et Juvenum ritu florent modo nata vigentque.
...... Mortalia Facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtetit honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore Vocabula, ſi volet Uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

[k] *I. adv. Gent. Apud GENUENSIUM Log. Lib. II. C.VIII. Par. 7. pag. 186.*

[l] *Ibid. Par. 8. pag. 187.*

(m) *De Intellect. Hum. L.III.C. II.Par.8.T.II p. 9.*

(n) *Not. ad Par. 958. Ont. & Par.272.Pſych. Emp.*

(o) *Apud PLATONEM in Cratylo.*

Hac forſitan Horatiana ſententia plerique Philoſophorum permoti, ut Arnobius (*k*), Genuensis (*l*), Lockius (*m*), Wolfius (*n*), alii 49. cum vetuſtiſſimo Hermogene (*o*) judicarunt, Vocabula eſſe Signa *Arbitraria* (§. *VI.*) Idearum. Hi vero falluntur, ut demonſtratum eſt §. ſuperiore. Penes arbitrium Hominum

49. De Nominibus quod habeant aliquam activitatem naturalem notum eſt omnibus. Quam quidem activitatem naturalem non habent ut ſignificativa ſunt ad placitum, ſed ut ſunt in ſe quædam Res naturales. Ideo dixi Nomina illa habere virtutem in Magia Naturali, non ut ſignificativa ſunt, niſi forte eſſent aliqua, quibus ſignificatio eſſet naturalis, ſicut Stoici dicunt de omnibus Nominibus, quibus ut adverſantur Peripatetici, ita Plato in Cratylo aſſentitur de his, quæ recte ſunt poſita. Origenes autem de Hebraicis hoc ſentit, & ideo dicit, quod quædam Nomina hebraica in Sacris Litteris, ſicut *Oſanna*, *Sabaoth*, *Alleluja*, & ſimilia fuerunt ſic reſervata, & non mutata in aliam Linguam, in qua non retinuiſſent ſuam naturalem ſignificationem. Joannes Picus *in Apolog. Diſput. de Mag. Natur. & Cab. T.I. p.175.*

minum eſt ſolummodo ex Vocabulis *Adoptivis*, quum ſint alieni Partus (Not.43.), quædam aliquando rejicere, retentis ceteris. At Vocabula parere non a Voluntate Hominum pendet, niſi ludere velint, vel illudi, ſed a conceptis Ideis; Ideas autem non ab arbitrio, ſed a Rebus, Rerumque naturâ haurimus (§.II.).

At liceat Nobis illos ulterius confutare. Principio interrogatus quare hanc Ideam, vel Rem hoc, non illo, enuncias Vocabulo; ſi ſapis, non tui arbitrium cerebrumque affers, ſed, ſi *Adoptivum*, auctoritatem Majorum, Eruditorumve (Not.43.&§.*XVI.*), ſi *Naturale*, Ideam, vel Rem, aut rationem ex Ideæ, Reive natura depromtam. Id quod confirmant Nomina compoſita, & Cognomenta omnia. Hinc *Viraginem* ſuam PRIMUS HOMO, quia Matrem inde cunctarum Gentium, HEVAM nominavit (GENES.*III.*20.). Ita Abram in ABRAHAM verſus, & Sarai in SARA (GENES. *XVII.*5.15.). Ita etiam CHRISTUS Simoni, Divinitatem præ cæteris indicanti, eundem ergo præ ceteris extollens „ Tu es PETRUS, inquit, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam „ [*MATTH.XVI.*18.(*p*)]. Præterea Vocabulum ore pronunciatum eſt efficacius ſcripto, quod vel authore HIERONYMO in Epiſtola ad Paulinum de omnibus ſacræ Scripturæ Libris ſatis conſtat. Sic enim ait: habet

(*p*) *Adiſis ALPHONSUM DE CASTRO adv. Hæreſ. L.XII. verbo Papa, hæreſi 1. Ethymologias autem Verborum exhibet AUGUSTINUS Princip. Dialectica C. VI. & VII. T. I. Opp. in Appendic. p. 17. 18.*

neſcio

neſcio quid latentis energiæ vivæ vocis actus, & in aures diſcipuli de Authoris ore transfuſa fortius ſonat (*q*). Hæc erit itaque hujus diſcriminis ratio, quod, quum ore pronunciantur verba, a Mente, cujus ſunt partus, animantur veluti vivificanturque, non ſic ea, quæ dudum ſcripta, ceu mortua jacent. Rurſum ut ſunt Ideæ Signa Rerum, ſic Vocabula Idearum (Not. 41.). Atqui Ideæ a Rebus oriuntur [1.ª *H*.§.II.]. Ergo Vocabula ab Ideis. Quid plura? JESUCHRISTO docente, Quæ procedunt de Ore, de Corde exeunt [*MATTH.XV*. 18.]. Nimirum Contemplationes in Mente fiunt per Cerebrum, magno interdum detrimento Cerebri & concuſſione; quas inde quum loquimur, vel ſcribimus, tanquam ſolo radices infixæ, Mentem cum Cerebro ſecum pertrahere videntur: quod certe Philoſophi (*r*), ſubtileſque Theologi experti ſunt. At Affectus, Amor, Odium, Ira, ceteri, Mente quidem, ſed in Corde, non ſine Cordis nunc palpitatione, nunc anhelatione, nunc turbulento ſuſcitato tumultu, concipiuntur, & fervent; quos ubi loquimur, aut ſcribimus, Cor propemodum evellitur, ilia rumpuntur: id quod Oratores eximii paſſi ſunt. Tandem, Grandia ſi parvis aſſimilare licet, VERBUM Adorandum quid eſt, niſi Æterna DEI PATRIS Idea?

(*q*) *Apud* ALPHONS. DE CASTR. *L.* 1. *adv. hæreſ. C. V. pr.*

(*r*) BOERHAAVE *Oeconom. Anim. Par* 585. *Problemate* 5.

Penſò

Penſò l' Eterno DIO dunque a ſe ſteſſo,
E concepì di ſe l' Eterna IDEA,
Ch' é di ſe viva Immagine e riſleſſo,
VERBO Divin, che inſiem beando bea.
CAMPAILLA XX. 25

Omne igitur Verbum quid erit, niſi ipſiſſima Idea manifeſta? [§.§.*XXI.VI.*(*s*)] 50. Quare divinus PLATO (*t*) divinam virtutem Verbis adjudicat, & Nos cum PLATONE, præſertim Sacris. Quid enim movet fortius & perſuadet, quam SACRARUM lectio LITTERARUM? Non movent, non perſuadent, ſed cogunt, agitant, vim inferunt LEGIS rudia verba & agreſtia, ſed viva, ſed animata, flammea, aculeata, ad imum Spiritum penetrantia, Hominem totum poteſtate mirabili transformantia (*u*). Et Verba Hominum quanta ſint, Summi Oratores CICERO, & SEGNERI, ſummiqne Poëtæ VIRGILIUS, & TORQUATUS, etiam mortui demonſtrant. PETRUS certe METASTASIUS, dramaticæ poëſeos parens, omnium ſuaviſſimus, de ſe confidenter ſcripſit:

(*s*) PLINIUS *Hiſtor. Nat.* XI. 51. FICINUS *in Cratyl. p.* 209. *Col.* 2. *pr.* HABERT *T.* VIII. *p.* 78. *de Secunda Perſona Q.* I.

(*t*) *In Cratylo.*

[*u*] PICUS *ad Hermolaum T.* I. *p.* 355.

Quel

50. Nonne igitur RES, IDEA, VERBUM erunt Similllima? (L. *H.*§§.II.III.). Quum autem Similitudo ſit WOLFIO (*p*) Identitas eorum, per quæ Entia diſcerni debebant; nonne RES, IDEA, VERBUM erunt Idem, & tamen Tria, h. e. tres Relationes?

(*p*) *Parag.* 195. *Ont.*

Quella Cetra ah pur tu ſei
Ch' addolcì gli affanni miei ,
CHE D' OGNI ALMA A SUO TALENTO.
D' OGNI COR LA VIA S' APRI' ,
T. V. Opp. p. 264.

Cui præiverat Horatius :

O decus Phœbi , & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis , o laborum
Dulce lenimen , mihicunque ſalve
Rite vocanti , ODARUM I.° 27. & III.° 4. 8. 24. *IV.°* 2. 7. 8.

Quid ſit ergo Vocabulum , & quomodo ortum , pulchre vides .

§. XXIII.

3.° (§.I.)

Quia Vocabulum eſt Signum Ideæ (§. V.) ; quotuplex Idea (1.° *H.§.X. & ſeqq.*) , totuplex Vocabulum .

§. XXIV.

γ. Vocabula Scholaſtici vocarunt *Terminos* . δ. Terminus autem Aristoteli *I.° Prior.* 1.° defiaitur Extremum Propoſitionis (§.7. *Prol.*) . Sit Propoſitio : O Fortuna ut nunquam perpetuo es bona ! (*x*) , *Fortuna* , & *bona* ſunt Termini , queis finitur Propoſitio . ε. Qui Rem cum determinationibus ſuis , *Concretus* , ut

(*x*) *TERENTIUS in Hecyra III.* 3.4

ut *DEUS*, *Homo*, *Hic*: ζ. qui quaſi divulſas a Rebus determinationes exprimit, *Abſtractus*, ut *Divinitas*, *Humanitas*, *Hecceitas* (Not.20.). η. Quum tamen *Homo* ſit Idea abſtracta (Not.25.); *Homo* quum profertur, Terminus *Abſtractus* dici poteſt. θ. Qui Rem alteram excitat, *Relativus*, ut *Pater*, *Filius*, *Rex*, *Subditus*, *Dominus*, *Servus*, *Sponſa*, *Maritus*: ι. Aliter, *Abſolutus*, ut *Cœlum*, *Terra*, *Maria*. κ. Qui omni Rei convenit, *Traſcendentalis*, ut *Unus*, *Verus*, *Bonus*: λ. Qui huic Rei, Rerumve Claſſi, *Categoricus*, ut *Spiritus*, *Corpus*, *Homo*, *Brutum*, *Planta*, *Metallum*. μ. Qui pluribus eadem ſignificatione congruit, *Univocus*, ut *Spiritus*, *Corpus*, *&c.* (λ.) ν. Diversâ *Æquivocus*, ut *Malum*: ξ. Proportione quadam, *Analogus*, ut *Ferreus Homo*, *Aureus Sermo*. ο. Qui notionem deceptricem habet, cui nempe nulla reſpondet Idea, quanquam dicenti reſpondere videatur, *Non ſignificativus* Veteribus, WOLFIO *Inanis* dicitur (y), CLERICO *Vocabulum Nihili*. 51. π. Terminus *Materialiter* Re-

K rum

51. Huic lutulento Hæreticorum ſtercori, jam tamen Æterno deſiccato Igni, pleraque ECCLESIÆ ROMANÆ, & SCHOLASTICORUM THEOLOGORUM DOGMATA, prophano ſcilicet Homini non intellecta, *Vocabula nihili* dicuntur, & AUGUSTINI GRATIA *Neſcio quid* (q): quaſi eam a SCRIPTURIS non traxerit AUGUSTINUS, minimeque ſit perſpicua Auguſtiniana definitio: » Gratia eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus» (r). Sed DOGMATIS explicandis abſtineo: nec enim id Philoſophiæ proprium, & a THEOLOGORUM Familia tractatum uberrime

(y) *Par.* 38. *Log.*

[q] *Artis Criticæ præfation. Sect.* 2. *Par.* 5. *p.* 6. *& T. I. P.* 2. *Sect.* 1. *C.* 9. *Parag.* 11. 16. 17. *p.* 115. 117. *& C.* 8. *Parag.* 12. 13. *p.* 110. 111.

(r) *Ad BONIFACIUM IV.* 5. *apud BERTI Lib. XIV. de Theologicis diſcipl. C.* 7. *p.* 144.

rum determinationes obvias indicat; ρ. *Formaliter* inſigniores. σ. *In ſenſu compoſito* idem eſt, ac junctim; τ. *In ſenſu diviſo* ſeorſim. υ. *In actu primo*, vel *ſignato* Potentiam, φ. *In actu ſecundo*, vel *exercito* Actionem connotat. χ. *Ut quod* Subjectum, vel Agens; ψ. *Ut quo* Inſtrumentum Agentis, vel præclaram Subjecti formam. Ac de Terminis, Scholæ Theologo profuturis, hactenus (z).

(z) *Legeſis FRASSEN in Log. de Term. in genere Tract. & Diſput. I. Q. 2. FACCIOLATUM Log. Syntagmate III. P. I. C. 4. BAUMEISTERUM Par. 122. Log. & ſeqq.*

§. XXV.

4.ª (§. I.)

Quoniam Vocabula ſunt Naturalia Signa Idearum (§. XXI.), Realibus autem Ideis, Naturalibus, Claris, Diſtinctis, Completis, & Adæquatis jure recteque utimur ad Veritatem (I.ª *H.* §. *XL.*); Vocabulis ergo, Reales, Naturales, Claras, Diſtinctas, Completas,

tas,

me. Clericum autem verbis evertam ſuis. Etenim notionem Subſtantiæ *obſcuram* eſſe docet, *Subjectumque qualitatum ignotum* (s), quin tamen Subſtantiæ, Subjectique Vocabula ſint *Nihili*. Porro ubi deſinunt obſcura, ignotaque Naturæ, ibi quidem incipiunt obſcura, ignotaque Gratiæ. Si igitur illa non ſunt Vocabula *Nihili*, minus hæc. Scribit etiam Clericus: „ Si Socrati credimus, Humanæ Sapientiæ apex in eo ſitus eſt, ut *QUAM IGNARI SIMUS*, probe cognoſcamus; cui viro ſi quis adſenſerit, Judicio ſuo *MEUM* etiam adſcribat. Si hæc probe intelligeretur interpretandi ratio, & in animum, ut par eſſet, demitteretur . . . retunderetur primum *SUPERBIA CRITICORUM* nata ex eo, quod putent ſe ſcire quod neſciunt, & qua ſæpe bonis literis aut invidiam, aut contemptum crearunt „ (t). At quæ his Clerici infenſiora Clerico?

(s) *T. I. P. & Sect. II. C. III. Par. 8. 2. p. 184.*

(t) *T. I. Art. Critica. P. II. Sect. I. C. II. Par. 17. 18. p. 183.*

tas, & Adæquatas Ideas ſignificantibus, jure, recteque utimur ad VERITATEM.

§. XXVI.

Contra abutimur ſæpe Æquivocis [§. *XXIV.* 1. (*a*)], interdum Analogis [§. *cit.* 8. (*b*)], ſemper Inanibus Terminis (§. *cit.* 4.), ceteriſque Chimæricas, Phantaſticas, Obſcuraſque Ideas ſignificantibus (1. H. §§. XXX. XXXI. XXXIII.), aut a recepto ſignificatu abhorrentibus, ſive in communi ſermone 52., ſive in datis Artibus, Scientiis, vel Syſtematis.

(*a*) *De ambiguitate Verborum AUGUSTINUS Princip. Dialectica C. X. T. I. Opp. Append. p. 20. ad 22. Pariſiis 1689. CLERICUS, ſed caute, legendus in Arte T. I. P. 2. Sect. 1. C. 5. per totum pag. 86. & ſeqq.*

(*b*) *CLERICUS in Arte T. I. P. 2. Sect. 1. C. 11. per tot. p. 126., & ſeqq.*

52. Si in ſignificatum vocis, quem ipſi tribuit Usus Loquendi inquirere (volumus), tum 1. varii cogitandi ſunt caſus, in quibus voce illa utimur; 2. quæcunque in Re illa diſtingui poſſunt, cui ineſt, quod voce indigitatur, ſedulo ſunt diſtinguenda; 3. examinandum, quænam ſint illa, ob quæ voce iſta hic utimur, dum ſcilicet caſus alios in memoriam nobis revocantes attendimus, utrum adhuc voce iſta ſimus uſuri, necne, ſi hoc, vel iſtud abeſſet, vel ſi hoc, aut iſtud ſolum adeſſet. Hac ſane ratione detegemus notas, quæ notionem ingredi debent voce deſignatam. Si quis (*Ex. c.*) quærit ſignificatum vocis L*UX*, quem ex Usu Loquendi obtinet; ei attendendum eſt ad eos caſus in quibus L*UCEM* adeſſe dicit, tum & ad oppoſitos, in quibus eam adeſſe negat, ut appareat, quænam ſint ea, ob quæ L*UCEM* adeſſe aſſeramus. Quoniam itaque deprehendimus, nos, quod L*UX* adſit, inde agnoſcere, quod Corpora circumſtantia videre poſſimus; eam autem nondum adeſſe affirmamus, quando eadem videre non licet: ideo hinc conſtat, voce L*UCIS* ex Usu Loquendi id denotari, vi cujus Corpora videri poſſint. Ex hactenus dictis

§. XXVII.

Quum porro Vocabulis utamur ad LOQUENDUM, vel SCRIBENDUM, ad LOQUENTEM, vel SCRIBENTEM INTELLIGENDUM (*Exp.*); RECTE LOCUTURUS, 1.° Teipſum intellige, 2.° Tibi, Auditoribus, Reique conformia, & opportuna loquere; 3.°

Eſt brevitate opus, ut currat Sententia, neu ſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aures. HORAT. I.° *Satyrar. X.*ª 9.

(c) *Lege* CICERONEM *I. Officior.* 37. 38. *CASA Galat.* 45.

Cetera, ut ſupra [§.§. *XXV. XXVI. (c)*]. Enimvero recte loqueris, quum ab Auditoribus cum voluptate intelligeris [*Conſ.Hom.*] 53. Niſi vero Teipſum intelligas, multo minus Te alii intelligent. Et, ſi quæ loqueris, Auctoritati tuæ, tuis Auditoribus, Reique propoſitæ non ſint aptiſſima; exiſtimationis tuæ jacturâ, & cum irriſione Audientium taceas, ac illinc diſcedas neceſſe eſt (*Ex term.*).

§.XXVIII.

ctis apparet, quam circumſpectus eſſe debeat Verborum uſus, ne aut notionibus deceptricibus nobis imponamus Verba cum Rebus confundentes, aut Vocum indeterminato ac vago ſignificatu Evidentiæ cognitionis obicem ponamus, ac ſumma imis miſceamus. WOLFIUS §. 150. & *ej. Not.* & § 151. *Log.*

53. Perficiendum eſt, ſi quid agere, aut perficere vis, ut Homines te non ſolum audiant, verum etiam libenter, ſtudioſeque audiant. CICERO *Divinat. in Verr. med.*

§. XXVIII.

Quoniam niſi Individualia; aut Univerſalia ſcribere non poſſumus (§.*V.& I.ª H.* §. *XVII.*); ∴ Recte Scripturus (§.*XXVII.*) Individualia, Naturam, h. e. Individua exſcribe ſedulo, ut Poëtæ, Oratores, Hiſtorici præſtantiſſimi faciunt (I.ª H. §. XXIV.); ∴ Recte Scripturus Universalia, Naturam exſcribe ſedulo, Diſſimilitudinibus autem undique, prudenterque præciſis, ut Philoſophi peracuti (§.*cit.*). Patent ex terminis. *Confer* §§. *XXV. XXVI.* Ceterum

Tu nihil invitâ dices, facieſve Minervâ,
Id tibi judicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Metii deſcendat Judicis aures;
. . . . . . nonumque prematur in annum.
Membranis intus poſitis delere licebit
Quod non edideris: neſcit vox miſſa reverti.
Horat. *in Art.* ſ.ª *f.*ᵐ

Nihil denique moreris ſcriptorum forte tuorum Volumen exiguum. *Non miſureremo già i Libri a peſo, o a palmi. Ad un Libricciuolo ſolo, ma ottimo, e di ſquiſito Guſto Noi concederemo quell' onore, che negheremo a i groſſi Volumi d' altre Perſone* (*d*).

(*d*) *Lamindo Pritanio Buon Guſto. Primi diſegni della Repubblica Letteraria pag.* 14. *Napoli* 1755.

§. XXIX.

Loquentem Intellecturus (§. XXVII.), 1.° Aures arrige ita, ut omnia, ac ſingula Loquentis Vocabula accipias probe; 2.° in iiſdem interpretandis, ab Uſu Loquendi, & a recepto Terminorum ſignificatu in datis Artibus, vel Scientiis ne recedas (§.XXVI.). Ita ſane Loquentem, modo recte loquatur (§.XXVII.), intelliges. Etenim Mentem alterius intelligimus, quum omnia, ac ſingula illius vocabula tenemus iiſdem omnino Ideis, ac ille (*ex term.*). Enimvero ſi Loquentis omnia, ac ſingula Vocabula accipimus probe, & tum nos, quum ille, ſi recte loquatur, ab Uſu Loquendi in Communi Sermone, & a recepto Terminorum ſignificatu in datis Artibus, vel Scientiis non recedimus; omnia quidem, ac ſingula Vocabula tenemus iiſdem omnino Ideis, ac ille. Ergo Loquentem intelligimus. *ſ.* Quod ſi Loquens minus recte loquatur, aut quia ſuæ Mentis non ſit, aut quia ſtipes, aut ſycophanta, aut in quem quidvis harum, ſimiliumve rerum convenit; tandem ſermonis Contextu intelligetur.

§. XXX.

Scribentem Intellecturus (§.XXVII.), *Primum* inquire, ſitne Genuinum Opus, quod lecturus es, an Spurium, Integrum, an Corruptum

ruptum; vel Interpolatione ſcilicet, vel Mutilatione. ε. Liber Genuinus eſt qui re illius eſt, cujus dicitur, ſive, qui ab eo Auctore ſcriptus eſt, a quo ſcriptus eſſe dicitur, & eo circiter tempore, quo ſcriptus eſſe fertur (e): ε. ſecus, Spurius, vel Suppoſititius. ς. Integer, cui nihil alienæ manus ineſt ſub ſpecie propriæ, nilque deeſt propriæ; ζ. ſecus, Corruptus. Quidam enim prava, & perverſa dogmata ſimplicioribus propinaturi, abortus ſuos alieno, graviſſimoque nomine ediderunt. Et ecce Spurii Libri cauſſa. Tempus, vel tinea, invidia, vel nequitia quà plurimos interpolarunt Libros, quá mutilarunt. Et hinc Corrupti Libri prodiere. Sunt itaque commixti Integris Corrupti, Spuriiſque Genuini Libri. Hiſce ſecernendis, ad hos, qui ſequuntur, attende CLERICI Aphoriſmos (f).

§. XXXI.

Aphoriſmus 1.us (§.XXX.): Suppoſitii Libri indicium eſt, ſi in veteribus Codicibus alii tribuatur (g)... Interpolati vero, ſi ſit in veteribus Codicibus ſine additamento (h); [Mutilati, ſi aliquid in vetuſtis Codicibus ſit, quod deeſt in novis (i)]. Cum plerique Tituli petiti ſint ex Mss. Codicibus, non mirum eſt ſi antiquiores præferantur recentioribus, ſi modo nihil ſit quod obſtet. At ſi Codices ſint paris antiquitatis, & fidei; tum vero

(e) *DANIEL HUET Def. I. Demonſtrationis Evangelicæ.*

[f] *In Arte T. II. P. 3. Sect. II. C. 2. ad 6. pag. 376. ad 410.*

(g) *Huvetianus de Imbecillitate Mentis Humanæ Libellus forte Suppoſititius. MURATORIUS de Viribus Humani Intellectus.*

(h) *Officia CICERONIS Interpolata. BANDIERA Not. 4. ad Cap. 3. L. I.*

[i] *Thebais SENECÆ Mutilla, & hiantia TERTULLIANI Opera.*

vero legitima de inſcriptione dubitatio oritur.

Aphor. 2.us Si quæ a Veteribus ex Libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in Libro eadem inſcriptione inſignito deſiderantur; aut alius eſt, aut Mutilus. Si aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet. Si omnia inveniantur ſine mutatione, Genuinus eſt, niſi aliæ ſint ſuſpicandi rationes. Hic Aphoriſmus tria complectitur, quorum primum eſt manifeſtum. Veteres enim, qui ætati Scriptoris propiores erant, merito ſtatuuntur uſi eſſe optimis Codicibus; nam qui cenſeri poſſunt emendatiſſimi Codices, niſi qui vivo Scriptore exarati, aut minimum paullo poſt ejus tempora? Igitur ſi quid deſit Libris, qui veteri Scriptori tribuuntur, quod a Scriptoribus ætate ei proximis laudatum ſit, libri jure Mutili videntur, aut ficti.

Aphor. 3us Scripta, quorum nulla mentio in priſcis Catalogis, quæ nec memorata ſunt ab ullo Scriptore ſequentium proxime Sæculorum, ut plurimum aut ficta judicanda ſunt, aut minimum ſuſpecta habenda. Habemus, exempli gratia, apud Diogenem Laërtium, ad calcem Vitarum ſingulorum Philoſophorum, Catalogos Librorum, qui illi ex multijuge lectione innotuerant. Alii etiam Scriptores eorum Libros, prout res poſtulat, laudant; horumque citationibus ſuppleverunt viri docti, & præſertim quidem Æg.

Mena-

Menagius, Diogenis Catalogos. Cum igitur nuſpiam occurrit mentio Libri, nomine Philoſophi inſigniti, falſa ſit inſcriptio, aut minimum ſuſpecta fiat neceſſe eſt; quia credibile non eſt Librum, inſignis præſertim Philoſophi, potuiſſe non modo fugere diligentiam Diogenis; ſed etiam ita ſperni, ut nuſpiam citaretur ab iis, qui frequenter de eo Philoſopho verba fecerunt, nec raro aliorum ejus Operum meminerunt.

Aphor. 4.us Quæ diſerte ſunt rejecta, aut in dubium revocata ab Antiquioribus, ea vix, propter Recentiorum Auctoritatem, admitti queant. Hujus Aphoriſmi Veritas per ſe manifeſta eſt, propioribus enim ætati Scriptoris notiores eſſe ejus fœtus genuini debuerunt, quam poſtea natis; quo enim ſerius naſcimur, eo tenuior rerum præteritarum notitia ad nos pervenit.

Aphor. 5.us Liber, in quo dogmata leguntur, iis contraria, quæ Scriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit, non videtur ejus eſſe, ſi præſertim dogmata ſint alicujus momenti, aut interpolatus eſt. Igitur ut poſſimus judicare, an Liber ſit Scriptoris, cujus nomen præfert, oportet nos diligenter legere alia ejus Opera, ſi quæ ſuperſint; ut quæ ejus fuerint opiniones quam accuratiſſime cognoſcamus. Poſtquam vero eas noverimus, ita ut nullum ſuperſit dubium,

tio ſibi conſtet, an Mare Cœlo miſceat.

§. XXXIII.

Tertio (§.*XXX.*) dum legis, VERITATIS amore legas, nec Animi paſſionibus quicquam dans. 2.° Locus, ſiquis fuerit æquivocus, & obſcurus, per Clariorem explica. 3.° Quod ſi Clarior deſit, confugiendum ad Ετοχ", tamquam ad anchoram ſacram (*p*). 4.° Non licet ſemper hujuſmodi ratiocinatione uti: Vox quæpiam ſignificat aliquid prima, media, aut deſinente Oratione; Ergo eadem eſt ejus in omnibus Orationis locis, in quibus occurrit ſignificatio (*q*). Cetera, ut in §. XXIX. *Confer I.*^m *H.*§§.*XXXII.XXXIII.* Ac ita proculdubio Scriptorem intelliges. Sed plura perſequi tum magnitudo Voluminis prohibet, tum feſtinatio, ut ea compleam, quæ exorſus ſum (*r*). Itaque

(*p*) *CLERICUS ibid. T.I. P. 2. Sect. 1. C. 5. Parag. 17. p. 95.*

(*q*) *Idem ibid. C. 6. Parag. 15. p. 101.*

[*r*] *Legeſis VVOLF. Parag. 117. & ſeqq. Log. & P. 2. Sect. 3. C. 1. ad 6. GENUENS. Log. L. IV. & AMORT T. V. Philoſophiæ.*

S. D. G.

S. D. G.

LIBRI II.

FINIS.

SCHOLÆ VERITATIS INQUIRENDÆ

LIBER III.

DE JUDICIO, ET PROPOSITIONE.

PARS I.

DE JUDICIO.*

§ I.

QUOCUNQUE prætermiſſo, brevitatis amore, proœmio, quæram illico, & 1.° QUID, 2.° QUOTUPLEX, 3.° QUOMODO ORTUM, 4.° CUJUS, 5.° QUINAM SIT JUDICIORUM AD VERITATEM RECTUS USUS? (*§.XX.LI.*)

* *Parag. 6. Prolog.*

§. II.

tum demum Librum, in quo contrariæ defendentur, merito rejicere poterimus, quaſi Suppoſititium; niſi conſtet Scriptorem mutaſſe ſententiam, quod de Auguſtino, exempli gratia, nos docent ejus retractationes.

Aphor. 6.us Liber, in quo memorantur res, aut Perſonæ Scriptore, cujus nomen præfert, recentiores, aut ejus non eſt, aut ab alio eſt auctus. Hæc interpretatione nequaquam indigent, cum ſint clara.

Aphor. 7.us Liber indoctus, aut imperitia refertus non poteſt ulla ex parte, aut ſaltem totus viro docto tribui; nec fabulis ſcatens, viro non inepto, quem conſtat veri amantem fuiſſe, affingi; quamvis in vetuſtis Codicibus eorum nomina præferat. (Alioquin

Jungentur jam gryphes equis, ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Ecloga *VIII.* 27.)

Aphor. 8.us Liber, in quo tractantur, vel reſpiciuntur controverſiæ natæ poſt tempora Scriptoris, cui tribuitur, aut in quo deprehenditur Scriptoris illo recentioris imitatio; ejus non eſt, cujus nomen præfert, aut eſt interpolatus. Res eſt per ſe clara.

Aphor. 9.us Si Stylus ſit diverſus a noto aut ſæculi, aut Scriptoris Stylo, ejus non eſt, quamvis nomen ejus præferat. Si ſit idem, ac Stylus alius Scriptoris, hujus liber cenſeri debet, ſi modo nihil obeſt (§. *IV.*).

Aphor.

Aphor. 10. Vocabula ſequioris ævi indicant Scriptorem recentiorem; in translatione vero, ſi quid ſit quod non conveniat Linguæ, qua ſcripſiſſe conſtat Auctorem, cui Liber tribuitur, aut non eſt translatio, aut eſt interpolata. Hactenus CLERICUS. At ECCLESIÆ eſt, non CLERICI (k), Sacrorum Bibliorum Genuinos a Spuriis, Integros a Corruptis internoſcere. Eoſdemque interpretaturus, non CLERICUM, nec WOLFIUM (l), ſed HIERONYMUM, AUGUSTINUM, LIRANUM, A LAPIDE, CALMETUM adito.

§. XXXII.

Secundo (§.*XXX.*), ubi jam conſtiterit de Genuitate, & Integritate Libri (§.*XXXI.*), 1.° Linguam, in qua ſcriptus eſt ab Auctore, calleas oportet. Nam niſi Linguam noveris, nec Vocabula noſces (Not. 46.), nec igitur Ideas, nec Mentem Scriptoris (§.*II.*). Cuique autem Linguæ ſua vis ineſt, & venuſtas, quas, in aliam translata, confeſtim amittit (*m*). 2.° Codices emendatiſſimos cura, ut habeas: aliter errores non ſuos affiges Scriptori (*n*). 3.° In ejus Patriam, Ætatem, Religionem, Mores, Sectam inquire: nam his conſentanea quaſi naturâ docet (*o*). 4.° Reſpice Finem, ſitne Poëta videlicet, an Orator, Philoſophus, an Hiſtoricus, *&c.* Sic demum intelliges, num Ora-

(k) *Qui exemplis ad 4. Aphoriſmum C. 3. n. 13. p. 385. & C. 6. Parag. 13. p. 407. Sapientiæ Librum vocat Spurium, quem tamen Genuinum eſſe Aphoriſmo 9. pateat.*

(l) *Par. 970. Leg. Hi nimium Sacros Libros interpretantur, quaſi Hominum eſſent operæ, non Dei.*

(m) *Legeſis CLERICUM in Art. T. I. P. 2. Sect. & C. 1. per tot. p. 53. ad 74.*

(n) *Lege eundem ibid. T. II. P. 3. Sect. 1. p. 1. ad 366.*

(o) *Legeſis eund. ibid. T. I. P. 2. Sect. 1. C. 13. & 14. p. 135. & ſeqq. & p. 17. & ſeqq.*

 tio

tio ſibi conſtet, an Mare Cœlo miſceat.

§. XXXIII.

Tertio (§.*XXX.*) dum legis, VERITATIS amore legas, nec Animi paſſionibus quicquam dans. 2.° Locus, ſiquis fuerit æquivocus, & obſcurus, per Clariorem explica. 3.° Quod ſi Clarior deſit, confugiendum ad Ετοχ"ν, tamquam ad anchoram ſacram (*p*). 4.° Non licet ſemper hujuſmodi ratiocinatione uti: Vox quæpiam ſignificat aliquid prima, media, aut deſinente Oratione; Ergo eadem eſt ejus in omnibus Orationis locis, in quibus occurrit ſignificatio (*q*). Cetera, ut in §. XXIX. *Confer I.*^m *H.*§§.*XXXII.XXXIII.* Ac ita proculdubio Scriptorem intelliges. Sed plura perſequi tum magnitudo Voluminis prohibet, tum feſtinatio, ut ea compleam, quæ exorſus ſum (*r*). Itaque

(*p*) *CLERICUS ibid. T.I. P. 2. Sect. 1. C. 5. Parag. 17. p. 95.*

(*q*) *Idem ibid. C. 6. Parag. 15. p. 101.*

[*r*] *Legeſis VVOLF. Parag. 117. & ſeqq. Log. & P. 2. Sect. 3. C. 1. ad 6. GENUENS. Log. L. IV. & AMORT T. V. Philoſophia.*

S. D. G.

S. D. G.

LIBRI II.

FINIS.

SCHOLÆ

VERITATIS INQUIRENDÆ

LIBER III.

DE JUDICIO, ET PROPOSITIONE.

PARS I.

DE JUDICIO.*

* *Parag. 6. Prolog.*

§. I.

QUOCUNQUE prætermiſſo, brevitatis amore, procœmio, quæram illico, & 1.° QUID, 2.° QUOTUPLEX, 3.° QUOMODO ORTUM, 4.° CUJUS, 5.° QUINAM SIT JUDICIORUM AD VERITATEM RECTUS USUS? (§.XX.L.I.)

Digitized by Google

§. II.

1.° & 2.° (§.I.)

JUDICIUM EST INTERNA IDEARUM UNITAS, AUT SEPARATIO, SUI SIBI CONSCIA: vel JUNGENDARUM, AUT SEPARANDARUM IDEARUM COGITATIO. Etenim quum ajo tacite in Corde meo: *Hic Homo eſt Sobrius*; vel, *Hunc Hominem Sobrium exiſtimandum*; Aut, *Hic pol Homo non eſt Sobrius*; Vel, *Hunc pol Hominem Sobrium minime exiſtimandum*, JUDICO [*Conſ. Hom.*]. Tunc autem cum Idea *Hujus Hominis* Ideam *Sobrii* jungo, mihi hujuſce conjunctionis conſcius; Vel, conjungendam cogito: Nunc vero ab *Hujus Hominis* Idea *Sobrii* Ideam ſeparo, mihi hujuſce ſeparationis conſcius; Vel, ſeparandam cogito. Illud itaque JUDICIUM eſt interna Idearum unitas, ſui ſibi conſcia; Vel, jungendarum Idearum cogitatio: Hoc interna Idearum ſeparatio, ſui ſibi conſcia; Vel, Idearum ſeparandarum cogitatio. Quum porro alterutrum conſtanter obtineat, quotieſcunque JUDICARE dicimur (*Exp.*); JUDICIUM eſt Interna Idearum Unitas, aut Separatio, ſui ſibi conſcia 54: Vel, jungendarum

54. Quamquam Unitas, aut Separatio Idearum adſit, niſi tamen adſit Conſcientia, ut in Infantulis, Mulierculis, Fatuis, nec JUDICIUM adeſſe dicimus. Vel, ſi dicamus, puerile, fœmineum, ſtultum, indignumque veneranda JUDICII nomenclatione cenſemus. Tanti eſt JUDICARE!

rum; aut ſeparandarum Idearum cogitatio.

§ III.

Interna, ſuique ſibi conſcia, Idearum unitas JUDICIUM eſt AFFIRMATIVUM, & THEORETICUM. Jungendarum Idearum cogitatio JUDICIUM AFFIRMATIVUM, ſed PRACTICUM. Interna, ſuique ſibi conſcia, Idearum ſeparatio, JUDICIUM NEGATIVUM, & THEORETICUM. Separandarum Idearum cogitatio, JUDICIUM NEGATIVUM, at PRACTICUM (§.*II.*)

§ IV.

Idea; a qua alteram ſeparo, vel jungo; Vel ſeparandam, aut jungendam cogito (§.*II.*), dicitur SUBIECTUM: Quam ſeparo, aut jungo; Vel ſeparandam, aut jungendam cogito, PRÆDICATUM: Utrumque EXTREMA. Verbum Extrema conjungens, vel adjecta negatione disjungens, COPULA 55.

§. V.

CARE! Neque majoribus aliquem cumulare laudibus poſſumus, quam ſi acuis: contra non majori turpidinis nota, quam ſi nullius JUDICII Hominem appellemus.

55. Etſi præterito, futurove tempore utamur, Judicium præſentis temporis eſt, licet de præterito, futurove: „ *FUIT, FUIT* illa quondam in hac Republica virtus, ajebat in Catilinam CICERO, ut viri fortes acrioribus ſuppliciis perniciloſum Civem, quam acerbiſſimum hoſtem coërcerent „. CICERONIS porro Judicium in præſenti fiebat, at cum relatione ad Præteritum. Atque de filio Pollionis VIRGILIUS Ecloga IV.

§. V.

Omne igitur JUDICIUM (§.*III.*) conſtat SUBJECTO, ut *Hic Homo*, PRÆDICATO, ut *Sobrius*, & COPULA, ut *eſt* (§§:*II.* & *IV.*). Nimirum EXTREMIS conjunctis, vel conjungendis; Aut disjunctis, vel disjungendis (§.*IV.*)[56].

§. VI.

2.° & 3.° (§.I.)

Ex apperceptione Individui, velimus, nolimus, oriuntur in Mente Judicia Affirmativa: Ex apperceptione Individuorum, præſertim Negativa: Utraque INDIVIDUALIA, & INTUITIVA. Quum enim Individuum conſtet per- multis,

At tibi prima, Puer, nullo munuſcula Cultu
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Miſtaque ridenti Colocaſia FUNDET acantho.

Hoc ejus Judicium in præſenti fiebat, ſed de Futuro.

56. Quoniam ergo Judicium in conjunctione, aut disjunctione EXTREMORUM poſitum eſt, EXTREMA autem conjungere, aut disjungere nemo poteſt, niſi ſint illa in conjungentis, aut disjungentis animo præſentia (*Not.55.*); nemo poteſt de Præterito, Futurove judicare, niſi ſint illa in animo Judicantis præſentia, Quicunque igitur demonſtrat, quamquam nec demonſtratione egeat, FUTURA, præſertim LIBERA, non poſſe in Hominum animis eſſe præſentia; demonſtrat actutum, de FUTURIS, præſertim LIBERIS, Homines judicare non poſſe. Quamobrem quæ de Pollionis filio conglomerat VIRGILIUS (*Not.cit.*), niſi forte ex Sibylla Cumana ad CHRISTUM referantur, in numerum poëticorum luſuum aſciſcenda: Sibyllina autem de JESUCHRISTO, Sacrorumque Bibliorum Vaticinia, non Humana, ſed Divina eſſe Judicia.

multis Determinationibus unitis(*I.*[a] *II.*[i] §.*XIII.*); ex harum apperceptione, velimus, nolimus, oriuntur in Mente unitæ Ideæ, ſui ſibi conſciæ (I.[a] II.[i] §.*VI.*[a.] & §.*VII.*[ζ.κ.]), h.e. Judicia Affirmativa (§.*III.*). Q. E. I.

Quandoquidem Individua ſunt a ſe invicem disjuncta (I.[a] II.[i] §§. *XI.XII.*), præſertim ſi ad Diſſimilitudines eorum attendamus (*I.*[a] *II.*[i] §.*XV.*); ex Individuorum apperceptione, velimus, nolimus, oriuntur in Mente disjunctæ a ſe invicem Ideæ, ſui ſibi conſciæ (*I.*[a] *II.*[i] §.*VI.*[a.] & §.VII.[ζ.κ.]), h.e. Judicia Negativa (§.III.). Q.E.II.

Quum denique Individuum, vel Individua Nos ipſi intueamur (*ex hypotheſi*); Judicia hinc orta (*ex præc.*[b.]) ſunt Individualia, & Intuitiva (*ex Term.*). Q.E.III. & IV.

Quandoquidem habent Exempla aliquam cum Experimentis affinitatem, quibus per rationes evicta confirmantur (WOLF. *Not. ad* §.54. *Log.*); Exemplis Demonſtrationem illuſtremus. Ex apperceptione Solis hæ in Nobis, velimus, nolimus, oriuntur unitæ, ſuique ſibi conſciæ Ideæ, h. e. Judicia Affirmativa, & Individualia: *SOL eſt procul a Nobis*; *Eſt in Cælo*; *Eſt inſtar Globi*; *Eſt Radioſus*; *Eſt Lucidiſſimus*; *Perſtringit Oculos*; *Oritur*; *Occidit*; *Calefacit*, *&c.* Quorum quum Nos ipſi Prædicatum in Subjecto (§.IV.) intueamur, Judicia vocamus Intuitiva. Ex apperceptione Solis, & Terræ hæc alia, tum Affirmativa, quum maxime Negativa; Utraque Individualia, & Intuitiva: *SOL non eſt Terra*; *Sol reſplendet, non Terra*; *Sol diſtat a Nobis, non Terra*. Et ſic porro. Hujuſmodi profecto Judicia ita quidem, nec aliter, adeo fieri a-

Digitized by Google

Rerum Natura cogimur; ut neſciam, utra dicam, a Nobiſne ex Rerum Natura facta, an a Rerum Natura in nobis facta. Quæ ergo ſi ſint falſa, tota Natura falſa eſt. Sed in hı̄s iiſdem Judiciis illud eſt præterea, ac ſummopere notandum, quod Subjectum, & Prædicatum ſint, ut Totum, & ſua Pars aliqua: Vel ut Totum hinc pro Subjecto, & illinc omnes ejus Partes ſingulæ pro Prædicato. Quum enim Individuum conſtet Implexu Determinationum (*I.a II.i* §.XIII.); ex Perceptione Individui Idea in Nobis oritur Implexa (*I.a II.i* §.*VII.* ζ.). Quam ſi iteratis perceptionibus, apperceptionibuſque explicare aggredimur; oriuntur in Mente Ideæ permultæ, ſed Singulæ, & unitæ cum prima illa Implexa, ſuique ſibi conſciæ (§.*cit.* κ.), h. e. Judicia Affirmativa (§.*III.*) quorum omnium Subjectum eſt Implexa Idea Individui, hujuſque Explicationes Prædicata (§.*IV.*). Quare ſi omnia Prædicata fuerint eruta, ſive, quod in idem recidit, ſi Idea illa Implexa fuerit penitus explicata; obtinebitur hinc pro Subjecto Totus Implexus, h. e. Individuum, & inde pro Prædicato omnes, & ſingulæ explicationes Totius. Exemplis nuper allatis hoc addam. Organicum Caji Corpus appercipiam; oritur in mea Mente ejus Idea implexa, ſui ſibi conſcia, nempe Judicium Individuale Intuitivum, ſed Implexum, ſive, ſtylo WOLFII, *Confuſum*. Cujus Subjectum eſt Idea qualiſcumque Caji Corporis, Prædicatum vero Membrorum cum Determinationibus obviis complicata Idea. Quod ſi Claris, Diſtinctiſque Ideis oblecter (*I.a II.i* §.*XXXII.* & §.*XXXV.* & *ſeqq.*); Singula Membra, & Membrorum Determinationes Singulas inſpiciam diligentius, & in aprico ponam pro Prædicatis. Et hæc ita prodibunt Judicia Affirmativa, Individualia, Singula, Diſtincta, Intuitiva: *Organicum CAJI Corpus conſtat Capite; & Collo; & Humeris; & Pectore; & Lumbis; & Brachiis; & Coxendicibus; & Cruribus; Pedibuſque. CAPUT rurſum conſtat Vertice; & Fronte; & Oculis; & Naribus; & Auribus; & Ore; Men-*

Mentoque. Ac ita prorſus, donec Organicum CAJI Corpus omnimode, ſi fieri poteſt, explicetur, ut adeo 1.° Subjectum ſit Totum, Prædicata omnes, & Singulæ Partes Totius; 2.° Prædicata bis accipiantur, ſemel confuſe cum Subjecto, & iterum poſtea ſeorſum, diſtincteque, quaſi fuiſſent ex Subjecto eruta, ut ex bombycino folliculo ſerica fila, utve ex malo punico nuclei, Subjecto tamen attributa, in quo inſunt, ſive quod ſunt; 3.° itaque Subjectum, & Prædicatum ſint unum idemque. Generaliter ergo ſi Subjectum ſit X, hujuſque Determinationes a b c d e f g; hæc erunt poſſibilia Judicia: „ *X* eſt *X*; *Xabcdefg eſt* a b c d e f g; *Xabcdefg*; eſt a b c d e f; *Xabcdefg* eſt a b c d e; *Xabcdefg* eſt a b c d; *Xabcdefg* eſt a b c; *Xabcdefg* eſt a b; *Xabcdefg* eſt a „. Quorum Primum eſt obſcuriſſimum; Secundum Totale, vel Adæquatum, & Reciprocum; Poſtremum Incompletum, & Partiale; Reliqua Partialia, ſed Completa; Omnia IDENTICA, licet Subjectum ſit latens & obſcurum, Prædicatum vero patens & perſpicuum.

§. VII.

Quoniam appercipere Individua eſt EXPERIRI [*ex Term.*(*a*)]; Apperceptio Individuorum, vel Individui eſt EXPERIENTIA.

(*a*) *Legeſis* VVOLFIUM. *Parag.* 663. *& ſeqq. Log.*

§. VIII.

Quia ex Individuorum apperceptione oriuntur in Nobis Judicia Affirmativa, Negativa, Individualia, Intuitiva, Identica, Certa & immota (*§.VI.& ej.Exemplis*), Experientia vero eſt Individuorum apperceptio (§.VII.); ex Experientia oriuntur in Nobis Judicia Af-

firmativa; Negativa, Individualia, Intuitiva, Identica, Certa & immota (§.*IV.L.*I.).

§. IX.

Eſt autem Experientia (§.*VII.*) duplex; Externa, & Interna. Quidquid nobis tamquam extra nos ex Individuorum apperceptione repræſentamus, Externa, aut, ſi mavis, Senſatio (I.ª II.ⁱ §. *VI.*): Quidquid nobis tamquam intra nos ex apperceptione eorum, quæ in nobis fiunt, Interna, vel Sensus Internus, aut Conscientia, quæ eſt etymologice Conſcia eorum notitia, quæ in Nobis fiunt.

Furit ex Externa Menalcas, Ecloga III, 15.

Quid domini facient, audent cum talia *fures*?
Non ego te vidi Damonis, peſſime, *Caprum*
Excipere inſidiis, multum latrante lyciſca?
Et quum clamarem, quo nunc ſe proripit ille?
Titire coge pecus, tu poſt careſta latebas.

At ex Interna Corydon, Ecl. II. 68.

Me tamen *urit* Amor, quis enim modus adſit amori?

Et Servus Geta in Adelphis III.º II.ª

Me miſerum! Vix ſum compos animi! ita ardeo Iracundia.
Nihil eſt, quod malim, quam illam totam Familiam dari mihi obviam,
Ut Iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos *ulciſcar* modo.
Seni animam primum extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus.
Tum autem Syrum impulſorem vah quibus illum lacerarem modis!

Subli-

Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram ſtatuerem,
Ut Cerebro diſpergat viam.
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos, poſt hæc præcipitem darem.
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem.

Sic ſcilicet ille ſedulus Naturæ exſcriptor, Scriptorque divinus (II.ª II.ⁱ, *XXVIII.* ª.). 57.

§. X.

Ex apperceptione Speciei, Generiſve, velimus, nolimus, oriuntur in Mente Judicia Affirmativa: Ex apperceptione Differentiarum Specificarum Negativa: Utraque ABSTRACTA, & UNIVERSALIA. Quum enim Species, & Genus conſtent aliquot Determinationibus unitis (I.ª II.ⁱ §.XIX. *& ſeqq. & Not.* 29.); ex harum apperceptione, velimus, nolimus, oriuntur in Mente unitæ Ideæ, ſui ſibi conſciæ (I.ª II., §.*V*I.ª *&* §.*V*II.ζ.ε.), h. e. Judicia Affirmativa (§.III.). Q. E. I.

Quoniam Differentiæ Genericæ, vel Specificæ ſunt a ſe mutuo disjunctæ (I.ª II.ⁱ §. *XXV*I.*& Not.*30.); ex harum apperceptione, velimus,

57. Mirum eſt, ut in utraque EXPERIENTIA conveniant Homines, modo valeant, attendant, ſintque bene formati. EXTERNÆ autem EXPERIENTIÆ, non ſoli, ſed ſpeciatim, innituntur Phyſica, & fere omnes mathematicæ Diſciplinæ (§§.*XXXIV.&XXXVI.L.*I.), Medicina (§.*V L.*I.*S.*), & Hiſtoria (II.ª II.ⁱ §.*XXVIII* ª). INTERNÆ Pſychologia, ac pene univerſa Moralis (§§.*XXXIV.XXXVII.L.*I.), huic vero Rethorica, ut MURATORIUS docet, *Perſ. Poëſ. T. I. L. I. C. IV. pag.*27.*& ſeqq.*

limus, nolimus, oriuntur in Mente disjunctæ a ſe mutuo Ideæ, ſuique ſibi conſciæ (1.ª 11.ⁱ §.*VI.*ˢ· §.*VII.*ˢ·ˣ·), h. e. Judicia Negativa (§.III.). Q. E. II.

Quum denique Genus, Species, Genericæ, Specificæque Differentiæ ſint Ideæ abſtractæ, & univerſales (1.ª 11.ⁱ §.§. *XXV. XXVI. XVII.*); Abſtracta, & Univerſalia [*ex Term.*]. Q. E. III. & IV.

Iiſdem ergo Legibus, quibus Idea Individualis abit in Univerſalem (*I.*ª *II.*ⁱ §.*XVII.*), Judicium Individuale (§.VI.) abit in Univerſale. Qui igitur Judicii Univerſalis Extrema (§.IV.) intueri volet [omnes autem VERITATIS percupidi velle debebunt], Judicia Individualia ſibi ſiſtet (§.*VI.*&*c*1.ª 11.ⁱ §.*XXV.*). Sed hæc momentoſa fuſius tractabo. Individuale, & Intuitivum ex Externa Experientia deductum, Menalchæ de Damœta Judicium hoc eſt: Tu, Damœta, es Fur. Ratio:

Non ego te vidi Damonis, peſſime, *Caprum*
Excipere inſidiis, multum latrante lyciſca?

Et quum clamarem, &c.(§.*IX.*). Menalchæ igitur ideo Damœtas eſt Fur, quia peſſimus *excepit inſidiis*, ipſo vidente Menalca, *Caprum* Damonis, multum latrante lyciſca, & quum clamaret, quo nunc ſe proripit ille, Titire coge pecus, Damœtas poſt carecta latebat. Nunc confer

Conductum *Latronem*, incendia Sulphure cœpta,
Atque *dolo*, primos cum janua colligit ignes.
Confer & hos, veteris qui *tollunt* grandia Templi
Pocula adorandæ rubiginis, & Populorum
Dona, vel antiquo poſitas a Rege *Coronas*.

JUVENAL.Satyr.XIII. ſ.ª ſ.ᵐ Invenies Eſſentialia (1.ª 11.ⁱ §.*XVI.*) *Furis*, ſive *Latronis* eſſe, quod *excipiat inſidiis*, *tollatve* vel *Caprum*, vel *Poculum*, vel *Donum*.

num, vel *Coronam*, vel quid aliud alterius, Rem videlicet alienam; *latrare* vero *Lyciſcam*, *clamare*, cetera de hoc genere eſſe Accidentalia (§.*Cit.*). Individualis itaque Menalchæ de Damœta Judicii *Tu es Fur* Subjecto omiſſo, Prædicatum fiat Subjectum, Eſſentialia *Furis* fiant Prædicatum (§.*IV.*), proveniet: *FUR eſt, qui excipit inſidiis Rem alienam*, Judicium profecto ex Externa Experientia extractum, Identicum, Reciprocum, Completum, Certum & immotum, Univerſale, & Abſtractum, cujus nec Prædicatum intueor, nec Subjectum, niſi Experientiam, a qua fluxit, conſulam. Individuale, ac Intuitivum Corydonis Judicium eſt: Ego *uror* Amore (§.*IX.*). Sed etiam Didonis

...... eſt mollis flamma medullas,
... et tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens, qualis conjecta Cerva ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius: illa fuga Silvas, ſaltuſque peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo (*a).

(*a) *ÆNEID. IV. 66. & ſeqq.*

Et Phædra,

Non me (inquit) quies nocturna, non altus ſopor
Solvere curis: alitur, & creſcit malum,
Et *ardet* intus, qualis ætnæo vapor
Exundat antro. Palladis telæ vacant,
Et inter ipſas penſa labuntur manus.
Non colere donis Templa votivis libet.
....
.... Quis meas miſeræ Deus,
Aut quis juvare Dædalus *flammas* queat (*b).

(*b) *HIPPOLIT. 99. & ſeqq.*

Quibus, ut ſupra, collatis, oritur: *AMOR eſt ardentiſſimus Affectus re amata fruendi*, Judicium Univerſale, ex Interna Experientia deſumtum, *&c.* Tandem Individuale, ac Intuitivum Getę Judicium eſt, Ardeo Iracundia (§.*IX.*). Iracundia ſimiliter ardens Medea,

Incerta (inquit), vecors, mente non ſana feror
Partes in omnes, unde me *ulciſci* queam.

(*c) *Scilicet Jaſoni.*

Utinam eſſet illi (*c) Frater! Eſt conjux, in hanc
Ferrum exigatur: hoc meis ſatis eſt malis.
Si quod Pelaſgæ, ſi quod urbes barbaræ

(*d) *Suas innuit.*

Novere facinus, quod tuę (*d) ignorant manus,
Nunc eſt parandum. Scelera te hortentur tua,
Et cuncta redeant (*e). Et Atreus,

(*e) MEDEA 122. & ſeqq.

Ignave, iners, enervis, & [quod maximum
Probrum Tyranno rebus in ſummis reor]
Inulte, poſt tot ſcelera, poſt Fratris dolos,
Faſque omne ruptum, queſtibus vanis agis
Iras? At Argos fremere jam totum tuis

(*f) *Jonium, & Ægeum, quæ Peloponneſum utrinque alluunt. FARNAB. hic.*

Debebat armis, omnis & geminum Mare (*f)
Innare claſſis, jam tuis flammis agros
Lucere, & urbes decuit, ac ſtrictum undique
Micare ferrum. Tota ſub noſtro ſonet
Argolica Tellus equite: non Sylvæ tegant
Hoſtem, nec altis montium ſtructæ jugis
Arces. Relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis. Quiſquis inviſum Caput
Tegit, ac tuetur, clade funeſta occidat.
Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in Fratrem ruat.
Age anime, fac quod nulla poſteritas probet,
Sed nulla taceat. Aliquod audendum eſt nefas
Atrox, cruentum, tale, quod Frater meus
Suum eſſe malit. Scelera non *ulciſceris*

(*g) THYEST. 176. & ſeqq.

Niſi vincis (*g). Nimirum: *IRA eſt vehemens dolor, ac odium ex illata injuria, eandemque ulciſcendi cupiditas*, Judicium Univerſale, ab Interna Experientia deductum, &c. Fundamentum adeo Univerſalium Judiciorum eſt Experientia. Hactenus de Divinis Rebus. Expendamus Humanas [§. *II. L. I.*]. Eſto Judicium Individuale „ Quem lego Liber eſt WOLFII Logica „. Conferam porro Logicam WOLFII cum ARISTOTELIS, ARNALDI, GENUENSIS &c; inveniam Eſſentialia eſſe Explicationem, & Directionem Intellectus in inquiſitione Veritatis. Individualis igitur Judicii Subjecto omiſſo, Prædicatum fiat Subjectum, & Eſſentialia

Præ-

Digitized by Google

Prædicatum, oritur: *LOGICA eſt explicatio, & directio Intellectus in Inquiſitione Veritatis*, Judicium videlicet Univerſale, *&c.* Univerſalium itaque Judiciorum hoc eſt norma: *ab* eſt a b, Vel *ab* eſt a. At Negativorum, ſive Univerſalium, ſive Individualium (§.*VI.*): *a* non eſt *b*, Vel *a b* non eſt *c d*. *Conf. Ex. ad* §. *VI.*

§. XI.

Quoniam Species, Genera, Differentiaſque Genericas, & Specificas appercipere eſt opus RATIONIS [*Philoſophor. Conſ.*], Judicia autem Univerſalia ex Specierum, Generum, Differentiarum Genericarum, & Specificarum apperceptione oriuntur (§.*X.*); Judicia Univerſalia ſunt RATIONIS opera.

§. XII.

Quoniam Judicia Univerſalia ſunt RATIONIS Opera (§.*XI.*), Judiciorumque Univerſalium Fundamentum eſt Experientia (*Ex. ad* §. X.); Operum RATIONIS Fundamentum eſt Experientia [58].

N §. XIII.

58. Quoniam Fundamentum RATIONIS eſt Experientia, & in Experientia Homines, modo valeant, attendant, ſintque bene formati, conveniunt (*Not. 57.*); iidem & in RATIONE conveniunt. Superſtruitur autem RATIONI, non ſoli, ſed potiſſimum, Logica, Theologia Naturalis, Pſychologia Rationalis, Ontologia, Coſmologia, Phyſica Generalis, Arithmetica, Geometria, Algebra, Practica Univerſalis, ſimileſque Scientiæ (§.§. XIX. XXXIV. XXXVI. XXXVII. L.I.)

§. XIII.

Ratio eſt terminus non parum æquivocus (11.a 11.i §.XXIV. α.). β. Rationem Lockius vocat Facultatem, qua Homines a Belluis diſtinguuntur, atque iis longe antecellunt (b). Inter Hominem autem, & Belluam, inquit Cicero, hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſu, movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accomodat, paululum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. γ. Homo autem, quod Rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas Rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat (§.*XI.&* 1.a 11.i §.*XIX.& ſeqq.*), rebuſque præſentibus adjungit atque annectit futura, facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias (c). δ. Sed Ratio modo actionem ſignificat, modo Potentiam. Quando actionem ſignificat, ε. eſt Idea, quæ dati cujuſvis Judicii connectit Extrema (§§.*II.III.IV.*), ζ. unde Ratiocinatio, de qua Libro poſteriore; ζ. Aut Judicium Univerſale dati Individualis, vel minus Univerſalis, Affirmativi conjungens, Negativi disjungens Extrema (§§.*X.VI.*). η. Hinc Vera Ratio, ſi conjungenda conjunguntur, aut disjungenda disjunguntur; ſecus, Falsa (§.*VII.L.I.*). Quando ſignificat Potentiam, ϑ. vulgo eſt Logica Naturalis (§.*XXI. L.I.*);

(b) *De Intell. Hum. L. IV. C. 17. Parag. 1.*

(c) *1. Offic. 3.*

L.I.); ι. philoſophantibus autem eſt Facultas cauſſas Rerum inveſtigandi, cauſſarumque cum effectibus nexum inſpiciendi, atque Judicia Univerſalia conſtruendi, eorundemque nexum appercipiendi(*hoc* §. β.;*Ex.ad* §.*X*;§.II.*L*.I;& Not.52.). κ. Ens porro, quod in ſe continet rationem, cur alterum exiſtat, dicitur hujus cauſſa (*d*). λ. Cauſſas itaque inveſtigaturus, ad Experientiam attende (§.*XII.*), qua ſi conſtiterit fieri in A mutationem, quotieſcunque jungitur B; B ſine dubio eſt cauſſa mutationis μ. A (*hoc* §.κ.λ.). Quamobrem quia ad Experientiam attendens video ceram, quoties jungitur igni, vel objicitur ſoli, toties liquefieri; eſt equidem ignis, vel ſol hujus liquefactionis cauſſa. ν. Ut Ratione (*h*.§.*I.*) ex Individualibus, ac Intuitivis Judiciis expromas Univerſalia, confer Exempla ad §.*X.* ξ. Ut denique Cauſſarum cum effectibus, Judiciorumque Univerſalium tibi facile nexum repræſentes; Claris ubique indiges, Diſtinctis, atque Completis Ideis (1.ª 11.ª §§.*XXXII.XXXV.XXXVI.*).

(*d*) WOLF. Parag. 696. 697. Log.

§ XIV.

Nunc intelligis, arbitror, pervulgatas haſce locutiones: Ratio Sufficiens; Ratio Naturalis; Recta Ratio, Conforme Rationi, Contrarium Rationi, & Supra Rationem. ξ. Ratio Sufficiens eſt Idea (§.*XIII.* ϛ.), eſt Judicium (§.*Cit.* ϛ.), eſt omne, unde in-

telligitur, cur aliquid ſit. E. gr. ex eo, quod quis ſumit, Triangulum tribus lineis contineri, intelligitur, inquit WOLFIUS, quod tres habere debeat angulos. Similiter ponamus, Perſonam quamdam, cui reverentiam me debere pro certo habeo, in Conclave intrare, dum ſedens ſcribo, & me, abjecto calamo, extemplo ſurgere: RATIO SUFFICIENS, cur calamum abjiciam, & protinus ſurgam, eſt introitus Perſonæ, cui me reverentiam debere *judico*. Ex eo enim, quod Perſona illa in Conclave intret, quodque me eidem reverentiam exhibere debere agnoſcam, quod denique *judicem* reverentiæ contrariari, ſi non ſurgam, intelligitur, cur potius ſurgere, quam ſedentem in ſcribendo pergere libuerit (e) 59. RATIO

(e) Not. ad Parag. 56. Ont.

59. AUGUSTINUS GIUFFRIDA, Civis Catinenſis, Medicus eminens, jam Philoſophiæ Anteceſſor ſubtilis, Auctor demum inter cetera Opuſculi, cui Titulus, *In M. Friderici Chriſtiani Baumeiſteri metaphyſicas Inſtitutiones Scrupuli, Melitæ 1766.*, RATIONEM SUFFICIENTEM capere non potuit, quum eâ tamen nil ſit captu facilius ab Animante, qui RATIONALIS dicitur. Eſt enim RATIO omnium ore contrita. SUFFICIENS quid ſit, CALEPINUS docet. CALEPINUM vero pueri elementarii non ignorant. Itaque *Diſputatione 1., Scrupulo 1., num. 4. candide more ſuo loquens* per RATIONEM SUFFICIENTEM intelligendum ait, quod Barbari per Vocabula *Non eſt major ratio*. Atqui his illi tantum utebantur fluctuante in Rationum æquilibrio Intellectu. Ergo, inferat opinor, nobis etiam non licere, niſi tunc ſolum iiſdem uti. Candide GIUFFRIDA loquitur, ſed inepte. Etenim Præmiſſæ probatione indigent. Pulitiſſima vero conſequentia. An ergo, quia noluerunt Arabes, vel neſcierunt; RATIONEM SUFFICIENTEM nos extendere nec

TIO NATURALIS vulgo eſt Logica Naturalis (§.XXI.L.I.), ²· ſtrictius eſt Judicium Univerſale ex Rerum Natura depromptum (*Ex.ad* §. X.).

nec poſſumus? Sed conſultius infra RATIONEM SUFFICIENTEM *Medium Terminum* Scholaſticorum appellat, *Pontemque Aſinorum* (dulcia verba!), ut hinc colligat, inventu eſſe, intellectuque difficilem. At iterum GIUFFRIDA labitur, vera falſis immiſcens, &, quæ ſunt diſtinguenda, temere confundens. Enimvero quid ſit *Medius Terminus* Veteres intelligebant, & intelligunt Novi. Quod nulla demonſtrabilis Propoſitio oſtendi ſine *Medio Termino* poſſit, rurſus & intelligebant Veteres, & Novi etiam intelligunt. Quod denique ſit ſæpe, præſertim tyronibus, inventu difficilis, Veteres, Novique fatentur; quin tamen iccirco claram ejus intelligentiam, ac neceſſitatem denegent. Ita Wolfiani ad unum omnes, quid ſit RATIO SUFFICIENS, intelligunt: Quod nihil intelligibile intelligi ſine RATIONE SUFFICIENTE poſſit, patere ex terminis dico: Quod demum identidem ſit inventu difficilis, verum eſt & id quidem; quin tamen iccirco clara ejus intelligentia, & ſumma neceſſitas ſit præfracte neganda. *Num.* 5. obſervat RATIONEM SUFFICIENTEM per omnia Cauſſarum genera vagari. Vagatur porro. Nimirum quævis Cauſſa, ſtatim ac eſt Cauſſa, eſt itidem ſui effectus SUFFICIENTISSIMA RATIO (§.XIII.*κ*.). Quid hic monſtroſi? *Num.* 6. poſtulat: *auditis terminis, RATIO SUFFICIENS, in cujus rei cognitionem veniendum ſibi eſſe? Cadetne eodem Cauſſa Efficiens, & SUFFICIENS RATIO?* GIUFFRIDA, quantum mutatus ab illo, qui reliqua ſcripſiſti! RATIO SUFFICIENS eſt omne, reſpondemus, quo intelligimus, cur aliquid ſit. Quare ſi alicujus Entis exiſtentiam intelligimus; RATIO SUFFICIENS exiſtentiæ Cauſſa Efficiens dicitur (*a*). Inde BAUMEISTERUM, deriſorem potius, quam deridendum, ridet, quod DEUM non ponat RATIONEM Mundi *Schol. ad* §. 351. *Ontologiæ*, *Notis* vero *ad* §. 31. ponat DEI Voluntatem RATIONEM Mundi SUFFICIENTEM. At hoc loco BAUMEISTERUS Cauſſam Efficientem, illo *Cur*, *Raiſon*, h. e. Judicium, ſive *Motivum* intelligit. *Num.* 7. diviſionem rejicit RATIONIS SUFFICIENTIS in *Intrinſecam*, & *Extrinſecam*, quia Intrinſeca *non poteſt eſſe motivum affirmandi, cur ſit* alte-

[*a*] VVOLF. *Parag.*886.*Ont.*

X.). Quo ſenſu TERTULLIANUS, quid Athenis, inquit, & Hieroſolymis? Quid Academiæ? Quid Eccleſiæ? (*f*). Nimirum Theologis eſt *Externus*, minimuſque ratiocinandi locus; *Internus*, maximuſque Philoſophis. r. RECTA RATIO eſt Intellectus imbutus Judiciis Univerſalibus Certis immotiſque, vel horum nexus in Intellectu. r. CONFORME RATIONI quod connectitur cum Recta Ratione (·). Phædromi igitur Plautini votum,

(*f*) *De præſcriptione Hæreticorum* 7. p. 205. *Venetiis* 1744.

Sibi ſua habeant Regna Reges, ſibi divitias divites,
Sibi honores, ſibi virtutes, ſibi pugnas, ſibi prælia,
Dum

alterum; nonne alterum eſt aliud quid a RATIONE SUFFICIENTE? Abutitur enimvero patientia noſtra. Quia alterum eſt *aliud quid* a RATIONE SUFFICIENTE per RATIONEM SUFFICIENTEM intelligitur. Cæcutit, balbutit anus, ſurdeſcit, & hæret. RATIO horum SUFFICIENS eſt illi *Intrinſeca*, h. e. ipſa Senectus. Legat, ſi velit, & perpendat Exempla BAUMEISTERI *ad* §. 31. *Ontologiæ*. Numrandem 8. diviſionem RATIONIS in SUFFICIENTEM, & INSUFFICIENTEM diſcutiendam prætereit ob inconſtantiam BAUMEISTERI. Vellet nempe GIUFFRIDA, ut RATIONEM INSUFFICIENTEM BAUMEISTERUS jurejurando confirmaſſet. *Cur*, inquit, *negare INSUFFICIENTEM? Suntne omnia, quæ docet, evidentia, an plurima probabilia?*

Aſt ego ſardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco, projecta vilior alga (*b*),

[*b*] ECLOG. VII. 41.

ſi mihi hæc tua inſania non eſt. Si improbas in BAUMEISTERO RATIONIS INSUFFICIENTIS negationem, cur ergo in eodem non probas RATIONIS SUFFICIENTIS affirmationem? *Ubi negatio eſt cauſa negationis*, te docet tua Peripateticorum Schola, *ibi affirmatio eſt cauſa affirmationis*. Ceterum tum hunc omnimode, quum reliquos GIUFFRIDÆ Scrupulos eximam hujus parte poſteriore, & quarto, ſextoque Libro, & in Ontologicis olim, ac Pſychologicis. Nam ſi ſuum eſt Corporibus, Noſtrum eſt certe Conſcientiis Animiſque mederi.

Digitized by Google

Dum mihi abſtineant invidere, ſibi quiſque habeat
quod ſuum eſt (*h), [*h] CURCUL. I. 3 III. 22.

Conforme eſt Rationi. Connectitur enim cum Univerſali illo, certoque Judicio: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. r. Contrarium Rationi, quod Rectæ Rationi repugnat (r), ut hoc, quod imperatum, factumque a conſervo, conqueritur Grumio,

Dies, noctesque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter (*i). [*i] MOSTEL-LAR. I. I. 21.

Repugnat enim tum Virtutibus moralibus, quum explorato Juris pracepto: Honeſte vivere. v. Quod denique totam exuperat finitæ Mentis aciem Rationemque (§.XIII. s) Supra Rationem, ut Evangelicum illud: Verbum Caro factum eſt 60.

§. XV.

Si Nobis quomodocunque deſit Experientia, vel Ratio noſtra, adſit autem Experientia, vel Ratio (§§.*VII.IX.XIII.*) aliorum, doctrina præſertim, acumine, & probitate pollentium; poteſt hæc, imo debet pro noſtra prorſus haberi, ut ita oriantur in nobis Judicia Individualia, & Univerſalia, Affirmativa,

60. Omnia profecto Chriſtianæ Religionis Dogmata non Contra, ſed Supra Rationem eſſe, hinc colligere, ſi penes te es, luculenter potes.

va, & Negativa, Certa & immota, licet Obscura, & Aliena. Nos enim homines ſumus, &, utut rugoſam inflare conemur pellem, doctrina, acumine, & probitate pollentes. Si quando igitur adſit Experientia, vel Ratio noſtra, & Experientia etiam, vel Ratio aliorum, doctrina, acumine, & probitate pollentium; & noſtra, & aliorum illa conveniunt mirifice (Not. 57. 58.). Si noſtra itaque deſit, adſit autem aliorum illa; poteſt hæc, immo debet, ut noſtros defectus ſuppleat, pro noſtra prorſus haberi, ut ita oriantur in nobis Judicia Individualia, & Univerſalia, Affirmativa, & Negativa, Certa & immota (§.§. *VIII. X. XI.*). Quum vero in Individualibus nos ipſi non intueamur Prædicata in Subjectis, in Univerſalibus nexum Extremorum inter ſe, & cum aliis Univerſalibus Judicis (*ex hyp.*); ſunt, non Intuitiva & clara, ſed Obſcura (*ex term.*). Quoniam poſtremo Experientia, vel Ratio non eſt noſtra, ſed aliena (*ex hyp.*); nec Judicia hinc orta ſunt noſtra, ſed Aliena,

§. XVI.

Et quia Experientia, vel Ratio aliorum eſt Auctoritas (*ex Term.*); ex Auctoritate oriuntur in nobis Judicia Individualia, & Univerſalia, Affirmativa, & Negativa, omnia Certa & immota, licet Obſcura, & Aliena (§. *XV.*)

§. XVII.

Ex Auctoritate igitur DEI, Hominumve divinorum Mosis, Salomonis, Esaiæ, Lucæ, Pauli, ceterorum, nonne orientur in nobis Judicia Affirmativa, & Negativa, Individualia, & Univerſalia (§.XVI.), infra, & ſupra Rationem (§.XIV. v.), atque, licet Obſcura 61., Certiſſima tamen omnia, & Divina? „ Si Teſtimonium Hominum accipimus, Teſtimonium DEI majus eſt „ . I. Joan. V. 9. 62.

§. XVIII.

✝. Judicium ex Experientia (§.VII.), Experientia dicitur: x. ex Ratione (§.XIII. t.) Scientia (g); ✝. ex Auctoritate (§. §. XVI. XVII.) Fides. Fides eſt credere quod non vides, appoſite Augustinus (h). •. Judicium nec Certa Experientia, nec Certa Ratione, nec Certa Auctoritate firmatum, Opinio. a. Iudicium denique, cujus Extrema æque conjungi, ac disjungi poſſe videntur, Dubium.

[g] *Scientia hic actum ſignificat, non habitum. at Parag. 3. L. I.*

[h] *Omelia ſuper Joannem, apud* PICUM *in Apolog. T. I. p. 228.*

O Du-

61. *In via*, quæ erunt Intuitiva *in Termino*. » Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ». I. COR. XIII. 12.

62. Sunt in Auctoritate Hominum poſitæ primæ eorundem notiones, & Artes: In divina Theologia (§.V. L.I.a.)

Dubio vexatus ÆNEAS

Heu quid agat? quo nunc Reginam ambire furentem

Audeat affatu? Et quæ prima exordia ſumat?

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,

In parteſque rapit varias, perque omnia verſat (*k).

Id quod Motivorum, Legumque colliſionem vocat BAUMESTERUS (*l).

[*k] *ÆNEID. IV. 289.*

[*l] *T. III. Philoſ. Mor. C, 2. Parag. 23. poſit. 3. Sch. p. 331.*

β. Clara igitur Experientia, & Scientia CERTITUDINEM pariunt, & EVIDENTIAM 63: γ. Fides Certitudinem cum OBSCURITATE: δ. Opinio PROBABILITATEM: ε. Dubium HÆSITATIONEM. Et hæc hactenus.

§. XIX.

4.° (§. I.)

Quoniam Interna Idearum unitas, aut ſeparatio, ſui ſibi conſcia, minimeque libera, eſt Intellectûs, non Voluntatis (§.§. XIV. XVI. L. I., & I.ª II.ⁱ §. VII. ζ.), Judicium autem eſt Interna Idearum unitas, aut ſeparatio, ſui ſibi conſcia, minimeque libera (§.§. *II.*

63. EVIDENTIA etymologice eſt clara Rei videntia, ut alicubi notat GENUENSIS. CERTITUDO autem eſt animi ſtatus ab omni formidine oppoſiti liber & immunis. Eſtque *metaphyſica*, cujus oppoſitum involvit contradictionem: *phyſica*, cujus oppoſitum Naturæ: *Moralis*, cujus oppoſitum repugnat moribus. Ergo Idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe, *metaphyſice*: Imbribus Terram madefieri: *phyſice*: Filium probum a probiore Patre non interfici, ſum *moraliter* certus.

(§.§.*II.VI.X.*); Judicium eſt Intellectûs, non Voluntatis [64].

§. XX.

Edmundus Purchotius, Carteſianus Philoſophus, Intellectui vim percipiendi adimit, eundem ergo *paſſivum* vocat & inertem (*i*), *activam* vero Voluntatem, & judicantem (*k*), & hoc ita, ſi Diis placet, oſtendit: „ Judicium eſt actus Voluntatis. Eſt enim affirmatio veri, vel negatio falſi, ſive eſt aſſenſus, vel diſſenſus, quo Voluntas aliquid approbat, vel improbat; ergo ad Voluntatem ſpectat „. Oh præclaram ſapientiam! Primo enim ſi Judicium eſt affirmatio Veri, vel negatio Falſi, Omnes autem, ſingulique Philoſophi Verum, & Falſum eſſe Intellectûs objectum docuere; contra Purchotium ex Philoſophorum conſenſione deducitur (Not.1.) Judicium Intellectûs eſſe, non Voluntatis. ζ. Secundo ſi Judicium eſt aſſenſus, vel diſſenſus, quo Voluntas aliquid approbat, vel improbat, certe Judicium ad Voluntatem attinet [*ex term.*]. At hoc quæritur, utrum ſcilicet Judicium ſit aſſenſus, vel diſſenſus Voluntatis. Reſpondet itaque Purchotius quæſtioni per id, quod eſt in quæſtione. Hoc autem putidum eſſe Sophiſma po-

(i) *Log. P. II. Sect. & C.I. Coroll. unico.*

[k] *Metaphyſ. P. II. Sect. III. C. V. Propoſ. I.*

* 64. Nullus præciſe ſic opinatur, quia vult ſic opinari. Picus *in Apolog. de Libertate credendi pag.* 224.

poſterioris Libri pars altera indicabit. Sciat ergo PURCHOTIUS Judicium ſemper ab Intellectu fieri, quod tamen Voluntas modo approbat aſſenſu ſuo, & actione, modo improbat perturbata affectibus, juxta protritum illud,

Video bona, proboque, deteriora ſequor.

§. XXI.

5.° (§.*I.*)

Quandoquidem omne Judicium, aut Affirmativum eſt, aut Negativum (§.*III.*), Et in Affirmativo Prædicatum ineſſe dicitur Subjecto, in Negativo non ineſſe (§.§. *cit.* & *IV.*); Affirmativum eſt VERUM, ſi Prædicatum ineſt Subjecto, ſi non ineſt, FALSUM (§.*VII.L.I.*): contra Negativum eſt VERUM, ſi Prædicatum non ineſt Subjecto, ſi ineſt, FALSUM (§.*cit.*). Dignoſcitur autem ineſſe, ſi Judicium ſit denique Identicum, non ineſſe, ſi non ſit Identicum, ſitve repugnans (*Ex.ad* §. *VI.*& §.*X.*). Quod ſi Identitas, & non Identitas Extremorum, vel Repugnantia ſit, ut ſæpe contingit (§.§.*cit.*), latens; patebit & in Judicio quidem Intuitivo, ſi ad Experientiam attendas impigre (§.*VIII.* & Not.33.), in Judicio Abſtracto ad Rationem (§.§. X.XI.XII.),

in

in Judicio Obſcuro ad pondus Auctoritatis (§.§.XV.XVI.XVII.) 65.

ↄ. Hæc vehementer animadvertas velim. Sin minus, incognita pro cognitis habebis, hiſque temere aſſentieris, tua conſequenter Judicia TEMERARIA, Tibi, Tuis, Nobiſque pernicioſa. Atque I.[m] III.[i] L.[i] P.[m] elucubravimus (§.I.).

S. D. G.

S. D. G.

PARS II.

65. Sed JUDICIA ABSTRACTA ſunt præ aliis obnoxia Falſitati ob difficultatem ſuam maximam, & maximam contra facilitatem Judicantium. Non enim ſtatim ac JCTUS es, es Theologus, es Geometra, es Muſicus, Architectus, &c. De his ergo, niſi ſuperbiſſime, & ineptiſſime, judicare nequis. Recte itaque de Scientiis, Artibus, Religionibus, &c. judicaturus, Claris earundem, Diſtinctis, Completis, Adæquatis ſis præditus Ideis neceſſe eſt (I.[a] II.[i] §.XL.). Hinc conſtabit evidenter, quæ illis inſint Prædicata, quæ non. Ac inde ortum Judicium non magis erit abs te ex Subjecti natura factum, quam a Subjecti natura factum in te (*Ex.ad* §.VI.). Doctoris ſimiliter, Artificis, Religioſi, Clerici, Laici, Chriſtiani, cujuſcunque, Dicta, Scripta, Facta, Mores dijudicaturus; ſunt tibi primum perneceſſariæ datæ Scientiæ, Artis, Religionis, Obligationis, Gradus, Legis, & Dictorum, Scriptorum, Factorum, Morumque Claræ, Diſtinctæ, Completæ, & Adæquatæ Ideæ. Poſtea Dicta, Scripta, Facta, Mores cautiſſime, nullaque infectus perturbatione, confer cum data Scientia, Arte, Religione, &c. Si congruunt, recta ſunt omnia, ſi non congruunt, prava, & falſa [§.VII.L.I.(*c*)]. Hinc denique quam tu perridiculus, ſi Librum ex Titulo judicas, Hominem obtutu!

(*c*) *Legeſis* WOLF. *Parag.* 802. & *ſeqq. Log.*

Digitized by Google

PARS II.

DE

PROPOSITIONE. *

(*) Parag. 8. Prol.

§. I.

QUÆRENDUM 1.° QUID, 2.° CUJUS, 3.° QUOTUPLEX, 4.° QUINAM SIT PROPOSITIONUM AD VERITATEM RECTUS USUS? (§.XX.L.I.).

§. II.

1.° (§.I.)

PROPOSITIO EST JUDICIUM (I.ᵃ H. §. II.) MANIFESTUM VOCABULIS (II.ᵃ II.ⁱ §. II.); Quorum igitur alterum ſit Subjectum, alterum Prædicatum, tertium Copula Extrema conjungens, vel adjecta negatione disjungens [I.ᵃ H. §.§. IV.V.]. Enimvero

(*a) ECL. II. 56.

Ruſticus es Corydon, Nec tua munera curat Alexis (*a)

duplex eſt PROPOSITIO [*Conſ.Hom.*]. Sed cum *Corydonis* Ideâ Idea *Ruſtici* conjungitur: ab

Idea

Idea autem *Alexis Munerum Cura* conſulto disjungitur [*ex Term.*]; Utraque igitur eſt Judicium. *Corydon* ergo Subjectum eſt, *Ruſticus* Prædicatum. Et *Alexis* ſimiliter Subjectum, *Munerum Cura* Prædicatum. *Es* autem Extrema conjungens, Copula. Tria tandem hæc *Ruſticus*, *es*, *Corydon* ſunt Vocabula. PROPOSITIO itaque eſt Judicium manifeſtum Vocabulis, quorum alterum ſit Subjectum, alterum Prædicatum, tertium Copula Extrema conjungens, vel adjecta negatione disjungens *66*.

§. III.

Quoniam Propoſitio Judicio conflatur, Vocabuliſque (§.*II.*); quæ ergo de Vocabulis, Judicioque ſeorſum docuimus (11.[a] 11.[j] & 1.[a] *H.*), ad Propoſitiones junctim, & cum ratione perducenda, & viciſſim.

§. IV.

66 Quoniam Hominis omnia Membra loquuntur (*Not.* 41), manifeſtare Judicia ſine Vocabulis poſſumus. Sic ALEXANDER, non Vocabulis, ſed dato ſigno, ut omnes aſcenderent in rates, eam, qua ipſe vehebatur, primam juſſit expelli (*a*). PAUSANIAS etiam e vultu cujuſdam Ephori, qui eum admoneri cupiebat, inſidias ſibi fieri intellexit (*b*).

Malo me Galatea petit [*c*], *laſciva puella*,
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Nimirum *Facto* ſæpe Affectus, ac Judicia manifeſtamus. Populus liber, ſcribit HEINNECIUS (*d*), vel expreſſe ſibi Jus conſtituit, vel tacite. Quid enim intereſt, ſuffragio Populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & *factis*? At hæc ita manifeſta, intellectave ſine Vocabulis Judicia non ſunt Propoſitiones.

[*a*] *CURTIUS VIII. 13. ſ.*
(*b*) *NEPOS in Vita Pauſan. ſ.a ſ.m*
(*c*) *Inquit DAMOETAS ECL. III. 64. 65.*
[*d*] *Elem. Jur. Parag. 44.*

§. IV.

2.° (§.I.)

Quum manifeſtare Judicia ſit Voluntatis (§.*XVI.L.I.*), Propoſitiones autem ſint Judicia manifeſta (§.*II.*); Propoſitiones, quatenus Judicia, ſunt Intellectûs (I.ª *H.*§.*XIX.*); quatenus manifeſta, Voluntatis [67].

§. V.

(3° §.I.)

Quia multifarie, mirifque modis Judicia pandere conſuevimus (*exp.*); multiplex ergo, miraque Propoſitio (§.II.) [68].

§. VI.

Principio quandoquidem Propoſitio eſt Judicium (§.II.), Judicium autem Affirmativum, Negativum, Theoreticum, Practicum, Univerſale, Individuale, (I.ª *H.*II.III.VI.X.); Propoſi-

(*e*) *P.e 2.a C.e 3. pr. p.a 96. Verſionis Italica, Venetiis 1765.*

[*f*] *Legeſis* CLERICUM *in Arte T.o I.o P.e 2.a Sect.e 1.a C.e 15. 16.° p.a 148. & ſeqq.*

67 Quum itaque Judicium ſine Propoſitione haberi poſſit (*Not.* 66.), & Propoſitio ſine Judicio (*Not.* 54.); Judicium, & Propoſitio non ſunt prorſus unum idemque (*Not.*12.15.), ut AUCTORI ARTIS COGITANDI viſum eſt (*e*).

68 Hominum nempe diſſimilitudo (*Not.* 48.), Scientiarum, Artiumque multitudo (*Not.* 57. 58. 62.), tropis præſertim ſuis, figuriſque Rethorica multiplicem faciunt Propoſitionem (*f*). Nos autem multiplicitatem illam explicabimus, quæ a Judicii conſideratione deſcendit, quæque quum ſit LOGICORUM propria, tum eſt Scientiis ceteris, Artibuſque communis.

poſitio ergò AFFIRMATIVA, aut NEGATIVA; THEORETICA, vel PRACTICA, UNIVERSALIS, aut INDIVIDUALIS.

§. VII.

α. AFFIRMATIVA (§. *VI.*), cujus Judicium Affirmativum, cujus adeo Prædicatum cum Subjecto conjunctum exponitur.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula. ECL. II. 37.

β. Addunt autem Affirmationi vires Interjectio, & Interrogatio.

Eheu quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo!
ECL. III. 100.
Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia? ECL. II. 13.

γ. Interdum latet Affirmatio; & OBSCURA ergo Propoſitio, ſeu CRYPTICA (*a*). Clareſcit autem attendenti ad uſum loquendi, vel ſcribendi, contextumque ſermonis (II.ª II.ⁱ §.§. *XXIX. XXXII. XXXIII.*).

(*a*) VVOLF. Parag. 312. Log.

Non manum abſtines maſtigia? ADELPH. IV.ª IX.ª
h.e. maſtigia abſtine manum.

δ. Quandoque patet Affirmans, & Affirmatio, Propoſitio ſcilicet Affirmativa, & is a quo proponitur.

Et errat longe meâ quidem ſententiâ
Qui imperium credat gravius eſſe, aut ſtabilius,
Ut quod fit, quam illud, quod amicitia jungitur. ADELPH. I.ª I.ª

ε. Quandoque vero latet Affirmans, & patet Affirmatio.

Mala mens, malus animus. ANDR. I. I.

5. Tunc autem inveſtigandum eſt diligenter, utrum Scribentis, vel Loquentis affirmatio orta ſit ex proprio, an alieno judicio, ut ſuum unicuique pretium decernamus (§. XX. *L. I.*).

§. VIII.

1. Affirmativa (§. *VII.*), cujus Prædicatum cum Subjecto conjunctum exponitur, Theoretica (§. *VI.*).

...... Rex Jupiter omnibus idem. ÆNEID. X. 111. 69.

2. Si vero conjungendum, Practica (§. *Cit.*)

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, o pueri, *fugite hinc*, latet anguis in herba. ECL. III. 93.

§. IX.

Quoniam Rationale nihil ſine ratione conjungendum exponit, ſcilicet agendum (*ex term.* & §. *XIV.* 5.), Practicæ autem Propoſitionis Auctor eſt Rationalis (*ex term.*); Practicæ Propoſitionis Auctor nihil ſine ratione conjungendum exponit. Quandoquidem vero præter Practicam Propoſitionem non eſt, niſi Theoretica (§. *VI.*), Practicæ Propoſitionis ratio

69. Unde celebris illa Itali Epicorum Principis, *Ma Goffredo con tutti è duce eguale*. GERUS. LIBER. V. 54.

tio (§.*VIII.*) eſt in aliqua Theoretica (*b*), & hujus in alia, vel tandem ob evidentiam terminorum in ſeipſa.

Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas Legis devita (*b). Sunt enim inutiles, & vanæ (*c). Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita (*b). Sciens, quia ſubverſus eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus (*c). AD TIT. III. 9. 10. Intrate per anguſtam portam (*b), Quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem (*c). MATTH. VII. 13. Conſerva fili Præcepta Patris tui, & ne dimittas Legem Matris tuæ. Liga eam in Corde tuo jugiter, & circunda gutturi tuo. Cum ambulaveris gradiantur tecum, cum dormieris cuſtodiant te, & evigilans loquere cum eis (*b). Quia mandatum Lucerna eſt, & Lex lux (*c). PROVERB. VI. 20. ad 24. Hujuſmodi eſt etiam illa VIRGILII (*Ex. ad* §.*VIII.*3.).

[*b*] *LOCK. de Int. Hum. L. I. C. 3. Parag. 4. T. I. p. 26. BAUMEIST. Parag. 20. & ſeqq. Phil. Moralis*

(*b) *Propoſitio Practica* [*Parag. 8. 9.*]

[*c] *Propoſitio Theoretica* (*Parag. 8. 11.*) *& Practica* (*b) *ratio.*

§ X.

1. Negativa (§.*VI.*), cujus Judicium Negativum, cujus adeo Prædicatum a Subjecto disjunctum exponitur.

Non capit Regnum duos. THYEST. 445.

2. Addunt etiam Negationi vires Interrogatio, & Interjectio.

Hoccine credibile eſt, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut ſiet,
Ut malis gaudeat, atque ex incommodis
Alterius, ſua ut comparet bona? Ah
Idne eſt verum? ANDR. IV. I.

3. Quod ſi Negatio lateat, Obscura.

. . . . Ah
Tantam rem tam negligenter agere? ANDR. V. I.

Nimi-

Nimirum, tanta Res non erat equidem tam negligenter agenda.

Mirum vero impudenter Mulier ſi facit? ANDR. IV.ª V.ª h.e. Si Mulier facit quidpiam impudenter, non eſt mirum. Hæ igitur, ſimileſque Propoſitiones (*Ex.ad hunc* §. λ.) mentiuntur Affirmantes (§.*VII.*). Sunt vero Negantes, & contra (*Ex.ad* §.*cit.*λ.).

ν. Quandoque patet Negans, & Negatio.

Ego Spem pretio non emo. ADELPH. II.ª II.ª

ξ. Quandoque vero latet Negans, pateque Negatio.

Homine imperito nunquam quidquam injuſtius; Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat. ADELPH. I.ª II.ª *Confer* §. *VII.* ζ.

§. XI.

α. Negativa (§.*X.*), cujus Prædicatum a Subjecto disjunctum exponitur, THEORETICA (§.*VI.*).

. . . . . . Non me tua fervida terrent Dicta, ferox. ÆNEID. XII. 894. 895.

β. Si vero disjungendum, ſi eſt conjunctum, vel non conjungendum, ſi eſt disjunctum, PRACTICA (§.*VI.*). *Conf.* §.*IX.*

(*d) *Practica.* (*e) *Theoretica, & Practica* (*d) *ratio.*

Tu ne cede malis (*d*), ſed contra audentior ito, Quam tua te fortuna ſinet (*d*). Via prima ſalutis, Quod minime reris, graja pandetur ab urbe (*e*). ÆNEID. VI. 95. 96. 97. Animi Affectus non ſunt omnino ſupprimendi (*d*), ſed neque excitandi nimis (*d*). Torpor enim oritur, vel Circulationis perverſio (*e*). BOERH. *de Sanit. tuenda* §. 1048.

§. XII.

1. Universalis (§.*VI.*), cujus Judicium Univerſale, cujus adeo Subjectum ſit Genus, Species, Differentia Generica, vel Specifica, Prædicatum vero mera explicatio Subjecti 70. Prædicatum porro eſſe meram explicationem Subjecti dignoſcitur, ſi ad hujus originem attendatur (I.ª II.ª §.*XVII.& ſeqq.&* I.ª *H.Ex.ad* §.*X.*) 71.

HOMO eſt Animal Rationale. ANIMAL eſt Ens compoſitum, Vita, Senſuque præditum. RATIONALE eſt Ens Ratione conſtans. AMOR eſt ardentiſſimus affectus re amata fruendi. IRA eſt vehemens dolor, ac odium ex illata injuria, eandemque ulciſcendi cupiditas. FUR eſt, qui excipit inſidiis rem alienam. Quas Propoſitiones eſſe latenter Identicas, Completas, Reciprocas, & Abſtractas palam eſt (§. §. *Cit.*).

2. Quod ſi Subjectum ſit Genus, Species, vel Differentia, Prædicatum vero non ſit mera explicatio Subjecti, ſed Determinatio extra

eju

70. Differentias Wolfius omiſit §. 242. *Log.* Baumeisterus autem §. 209. *Log.* Propoſitionem dicit Univerſalem, cujus hypoteſis latet in ipſa Subjecti natura. Quum vero hujus Propoſitionis *Sol lucet* hypoteſis lateat in ipſa Subiecti natura; Propoſitio *Sol lucet* eſt Universalis!

71. Quoniam nempe Genus, Species, Genericæ, Specificæque Differentiæ Divinarum, Humanarumque Rerum Abſtractione orta fuere; in factam olim Abſtractionem inquirendum acrius, quænam Determinationes, ex Individuis avulſæ, in Genus, Speciem, Differentias converſæ fuerunt, ac illæ eædem nunc inverſione reciproca Generi, Speciei, Differentiiſque, tanquam Prædicata, attribuendæ, ſin inconſtantes ſimus, & obliviosi.

ejus notionem, quæ tamen, ſi Subjectum ſit Genus, inſit Generibus reliquis inferioribus, vel Speciebus illius Generis, ſi Subjectum ſit Species, vel Differentia Specifica, inſit omnibus illius Speciei, vel Differentiæ Individuis; Propoſitio eſt UNIVERSALIS (*ex term.*). Prædicatum autem non eſſe meram explicationem Subjecti, ſed Determinationem extra ejus notionem, dignoſcitur ſi ad originem Subjecti attendatur (Not. 71.). Ineſſe vero Inferioribus omnibus dignoſcitur per Experientiam, Rationem, vel Auctoritatem (*I.ª H.§.§.VIII.XI. XVI.XVII.*).

ANIMAL eſt Generabile, & Corruptioni obnoxium. HOMO eſt Mortalis. Generabilitas certe, & Corruptibilitas non ingrediuntur notionem Animalis, nec Mortalitas notionem Hominis (*Ex. ad hunc* §. 5.). Quoniam vero Genera in Inferioribus, & hæc in Specie, Species porro in Individuis exiſtit (I.ª II.ᵢ §. XXV.), Individuis autem cuiuſque Speciei Generabilitas ineſt, & Corruptibilitas (*Exp.Rat. & Auct.*); Propoſitio „ Animal eſt Generabile, & Corruptioni obnoxium „ eſt UNIVERSALIS. Omnia quoque Humana Individua eſſe Mortalia docet Experientia Majorum, majorum oppido non ætate tantum, ſed robore, ſapientia, potentia, dignitate, docet Ratio *a majori ad minus*, *a minori ad majus*, *a pari*, a Corruptibilitate deſumta, docet poſtremo Divina Auctoritas PAULI, inquientis: „ Per unum Hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in *OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT*, in quo omnes peccaverunt „. ROM. V. 12. Propoſitio igitur „ Homo eſt Mortalis „ UNIVERSALIS eſt. 2. Sed prima illa Univerſalitas (*Ex. ad hunc* §. 1.), *A PRIORI*: 2. Hæc (*Ex. ad h.* §. 2.),

A PO-

A POSTERIORI: δ. Utraque *metaphyſica*, in qua ſcilicet exceptio fieri nulla poteſt 72: χ. Si fieret, *moralis* diceretur.

ψ. Quod ſi tandem Subjectum ſit Genus, Species, vel Differentia, Prædicatum vero mera negatio cujusvis Determinationis in Subjecto non exiſtentis; Propoſitio eſt UNIVERSALIS NEGATIVA (*ex term.*).

SPIRITUS non eſt Corpus. MENS non eſt diviſibilis. HOMO non eſt Angelus. RATIONALE non latrat. Et univerſim *a* non eſt *b*.

§. XIII.

Univerſalitatis ſigna, quæ tamen fallunt, niſi cum præcedente §. conferantur, ſunt α. OMNIS cum Synonymis in Affirmante, NULLUS in Negante (§.§. *VII.X.*). α. Hæc autem, ſi Prædicato adhæreſcant, non Univerſalitatem Propoſitionis innuunt, ſed tantum Prædicati. β. At SEMPER Univerſalitatem Temporis, γ. UBIQUE, vel UNDIQUE Loci in Affirmante 73: δ. NUNQUAM & NULLIBI in Negante. ε. Tandem Propoſitio, ſigno Univerſalitatis affecta, dicitur *Definita*; ζ. aliter *Indefinita*.

Stat

72. Propoſitio itaque *metaphyſice* UNIVERSALIS requirit in proponente non garrulitatem procacem, ſed Generum, Specierum, Individuorumque Completas, vel Adæquatas Ideas (I. II. § XL.). Ad Experientiam igitur attenderit, Rationem excoluerit, Auctoritatem non ſpreverit.

73. UBIQUE, SEMPER, & AB OMNIBUS, tria hæc TRADITIONEM DIVINAM a non Divina ſecernunt, omnis, ſcilicet, Univerſalitas Subjecti, Loci, Temporiſque.

Digitized by Google

Stat ſua Cuique (α.) dies, breve, & irreparabile Tempus.

Omnibus (α.) eſt Vitæ. ÆNEID. X. 467. 468.

Nihil (α.) eſt, quin male narrando poſſit depravarier. PHORM. IV. IV.

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper (β.) honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt. ECL. *V.* 76. 77. 78.

Non ego vos Posthac (δ.), viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.
Carmina Nulla (α.) canam, non me paſcente, Capellæ,
Florentem cytiſum, & ſalices carpetis amaras ECL. *I.* 74. *ad* 78.

Mutatio ſubita a conſuetis in nova eſt Ubique; & Semper (γ.β.) quam maxime periculoſa. BOERH. *de San. tuenda* §. 10. 27.

Triſte Lupus ſtabulis (ζ.), Maturis frugibus Imbres (ζ.) ECL. *III.* 80. Per notionem autem Extremorum intelligimus utramque *Definitæ* [ι.] æqualem eſſe. Scilicet, Omnis Lupus eſt triſtis ſtabulis, Omnesque Imbres ſunt triſtes maturis frugibus [α.]. ν. Quamobrem Propoſitiones Univerſales *metaphyſice* [*Ex. ad* §. *XII.* ρ. φ.] *Definitis* [ι.] æquivalent. Propoſitio igitur „ Homo eſt Animal Rationale „ = „ Omnis Homo eſt Animal Rationale „. Item „ Spiritus non eſt Corpus „ = „ Nullus Spiritus eſt Corpus „ *&c.*

§. XIV.

Univerſalem Affirmativam Veteres indicabant per *A*, Negativam per *E* (*Ex. ad* §. *XIII.* ν.).

§. XV.

Ex *A* (§.*XIV.*) emerſit Dictum De Omni, h. e. Quidquid affirmatur de Genere, Specie, Differentia Generica, vel Specifica, affirmatur etiam de eorundem Inferioribus. Aut, ſi *A* (§.*cit.*) ſit Propoſitio latenter Identica, Completa, Reciproca (*Ex.ad* §. *XII.r.*); cuicunque congruit Subjectum datæ *A*, congruit quoque Prædicatum, & contra.

Quamobrem Propoſitio „ Homo eſt Animal Rationale „ (*Ex.ad* §. *XII. r.*), ſive „ Omnis Homo eſt Animal Rationale „ (*Ex. ad.* §. *XIII. r.*) eſt Dictum De Omni. Quidquid enim affirmatur de *HOMINE*, affirmatur illico de *Me*, de *Te*, de quovis alio ejuſmodi Individuo (*I.^a II.* §. *XIX*, *&* *Not.* 26.). Item Propoſitio „ Animal [vel, Omne Animal (*Ex.ad* §. *XII. r. &* *Ex.ad* §. *XIII. r.*)] eſt Ens compoſitum, Vita, Senſuque præditum „ eſt Dictum De Omni. Quidquid enim affirmatur de *ANIMALI*, affirmatur etiam de *HOMINE*, de *LEONE*, de *TIGRE*, de *PARDO*, de quavis alia Specie, Individuoque (*I.^a II.^i* §. *XX.*, *&* *Not.* 27.). Tandem Propoſitio „ Fur eſt, qui excipit inſidiis rem alienam „ (*Ex.ad* §. *XII. r.*) eſt Dictum De Omni. Etenim cuicunque congruit Subjectum, congruit quoque Prædicatum, & contra. Congruit ergo DAMŒTÆ (*I.^a H. Ex.ad* §. *X.*), & ACHAN (*JOSUE VII.* 1. 20. 21.), & Sacerdoti MICHÆ, ſexcentiſque viris (*JUDICUM XVIII.* 18. 20.), *&c.*

§. XVI.

Ex *E* (§.*XIV.*) Dictum De Nullo. h. e. Quidquid negatur de Genere, Specie, Dif-

(c) Legeſis VVOLF. Parag. 346. 347. Log.

ferentia, negatur etiam de Inferioribus (c). Aut, Cuicunque congruit Subjectum datæ E, repugnat illico Prædicatum, & contra.

Quapropter Propoſitio „ Spiritus non eſt Corpus „ eſt Dictum De Nullo. Quidquid enim negatur de Spiritu, negatur etiam de DEO, de Dæmone, de Mente, de quavis alia Specie (§. XXVIII. L. I.), Individuoque (I.ª II.ª §. XX.). Item Propoſitio „ JESU-CHRISTI Vicarius non eſt Antichriſtus „ eſt Dictum De Nullo. Cuicunque enim congruit Subjectum, repugnat ſubito Prædicatum, & contra. Congruit autem PETRO, LINO, CLETO, CLEMENTI, PIO VI. feliciter regnanti, ceteriſque ROMANIS PONTIFICIBUS.

§. XVII.

Propoſitio *A* (§.XIV.); *a priori* (*Ex.ad* §.*XII.*ª), latenter Identica, Completa, Reciproca, Abſtracta (*Ex.ad* §.*XII.*ª), & Theoretica (§.VIII.ª), eſt Definitio 74. Subjectum

74. Wolfio §.152. *Log.* & Baumeistero ſuo §.147. Definitio eſt » Oratio, qua ſignificatur notio Completa, atque Determinata termino cuidam reſpondens. Sumitur ſubinde pro ipſa notione Completa, atque determinata rei termino notatæ. Ipſe autem terminus, aut res eodem indigitata Definitum appellatur.... Dicimus (*Not. ad* §. 152.) notionem eſſe debere completam, atque determinatam, cum notio Completa dicatur, quatenus notæ ad rem agnoſcendam ſufficiunt. Determinatam vero, quatenus notæ; nec plures, nec pauciores adſunt, quam quæ ad hunc ſcopum ſufficiunt » . » Definitio, per quam non patet rem definitam eſſe poſſibilem, *Nominalis* dicitur. Aſt Definitio, per quam patet rem definitam eſſe poſſibilem, *Realis* vocatur. E. g. Si Circulus definiatur per figuram planam linea

jectum dicitur *Definitum*. Prædicatum, & Prædicatum etiam cum Subjecto, *Definitio*. Sit itaque *Definitum* Genus, Species præ-

 ſertim,

linea in ſe redeunte, cujus terminatam ſingula puncta a puncto quodam intermedio æqualiter diſtant, Definitio Nominalis eſt: neque enim ex ea apparet, num iſtiuſmodi figura plana ſit poſſibilis, an vero ſit ſine mente ſonus. Enimvero ſi idem Circulus definiatur per Figuram motu lineæ rectæ circa punctum fixum in Plano deſcriptam, ex Definitione patet iſtiuſmodi figuram eſſe poſſibilem (g). Definitio itaque Realis eſt » §.191. *& ej. Not.* » Definitionem *Eſſentialem* appello, in qua enumerantur Eſſentialia, per quæ Definitum determinatur. *Accidentalem* dico, in qua enumerantur vel Attributa, vel quæ per modum Attributorum inſunt, Modorum, ac Relationum poſſibilitates, quibus Definitum determinatur » §.192. » Definitiones cum Eſſentiales, tum Accidentales ſunt Nominales. In Definitione Eſſentiali enumerantur Eſſentialia, per quæ Definitum determinatur (§.192.). Enimvero Eſſentialium unum non determinatur per alterum, adeoque non neceſſario conjunguntur. Quamobrem dum enumerantur, nondum liquet, utrum Ens iſtiuſmodi ſit poſſibile, quod per iſta Eſſentialia determinatur. Quoniam itaque ex Definitione non intelligitur, utrum Definitum ſit poſſibile, necne; Definitio Eſſentialis Nominalis eſt (§.191.) ». Similiter de Accidentali ratiocinatur §.193. » Definitio modum exponens, quo aliquid fieri poteſt, Realis eſt. Definitio modum exponens, quo aliquid fieri poſſit, palam facit rem definitam eſſe poſſibilem, quod per ſe patet .... Jam Definitio illa Realis eſt, per quam patet rem definitam eſſe poſſibilem (§.191.). Realis igitur eſt » §.194. » Definitio *Genetica* dicitur, quæ rei geneſin, ſeu modum, quo ea fieri poſſit, exponit. Ut adeo appareat, Definitiones Geneticas eſſe Reales (§.194.)» §.195. » Ex ipſa autem Definitionis Geneticæ Definitione patet, quod Definitionem Geneticam conditurus noſſe debet cum ea, quæ ad geneſin rei requiruntur, tum quid unumquodque eorum ad eam conferat » §.196. » Ex hactenus dictis apparet, Definitionem Nominalem eſſe diſtinctam enumerationem notarum ad rem definitam agnoſcendam, & ab aliis

(g) *At vero, cur hæc Vocabula, „ Figura motu lineæ rectæ circa punctum fixum in Plano deſcripta „ Definitionem conſtituant Realem, illa autem, alioqui ſynonyma, „ Figura Plana, linea in ſe redeunte terminata „ Nominalem, Ego plane non video.*

ſertim, Differentia, minimum Terminus abſtractus (II. II. §.XXIV.5.); Prædicatum mera Explicatio Subjecti; totaque *Definitio* Dictum de Omni (§.XV.).

MES-

aliis diſcernendam ſufficientium. Definitionem vero Realem, ſive Geneticam eſſe notionem diſtinctam poſſibilitatis, aut ſi mavis Modi, quo quid poſſibile. Definitiones Nominales ſignificatus fixos terminorum conſtituunt, ut eos non tribuamus, niſi Rebus, quibus indigitandis deſtinantur, atque earum ope has obvias agnoſcamus. Præbent quoque prima ratiocinandi principia, ut quæ de Rebus cognoſci poſſunt, inde deducantur» § 197.

Verum aut præſtantiſſimi Philoſophi mentem Intellectu meo non conſequor, aut hæc non cohærent. Nam 1. ſi Definitio Nominalis ea eſt, ex qua non apparet, utrum Definitum ſit poſſibile, an vero ſine mente ſonus *Not. ad* §.191.; Ergo Definitio Nominalis non eſt Definitio *per* §.152. *& ej. Not.*; Ergo Definitio Nominalis non eſt diſtincta enumeratio notarum, ad rem definitam agnoſcendam, & ab aliis diſcernendam ſufficientium, *contra* §.197.; nec ſignificatus fixos terminorum conſtituit, *contra* §. *cit*; multominus præbet prima ratiocinandi principia, ut quæ de Rebus cognoſci poſſunt, inde deducantur, *contra* §. *cit.* 2. Si Definitio Nominalis ea eſt, ex qua non apparet, utrum Definitum ſit poſſibile, an ſine mente ſonus *Not. ad* §.191., Definitio autem quum Eſſentialis, tum Accidentalis eſt Nominalis §.193.; Ex Definitione quum Eſſentiali, tum Accidentali non apparet, utrum Definitum ſit poſſibile, an ſine mente ſonus. Quoniam porro omnes aliorum, & fere omnes ſuæ ſunt Definitiones vel Eſſentiales, vel Accidentales (ex ſuis, aliorumque Scriptis); Ex omnibus aliorum, & fere omnibus ſuis non apparet, utrum Definita ſint poſſibilia, an ſine mente ſoni. Nondum igitur inter reliqua apparet, utrum DEUS, & HOMO ſint poſſibiles, an ſine mente ſoni. Horrendum! 3. Si WOLFIUS per *poſſibile* intelligit *non repugnans*, Definitiones Eſſentiales ſunt Reales. Etenim in Definitione Eſſentiali enumerantur Eſſentialia, per quæ Definitum determinatur §. 192. Definitum ergo non repugnat, alias non determinaretur.

Per

MESSIAS eſt Homo Deus, a Deo divinitus miſſus ad Hominum ſalutem, & a Prophetis in veteri Teſtamento prædictus. HUET *Demonſtrationis Evangelicæ Defin.e VI.a* HOMO eſt Animal Rationale, *&c.* (*Ex. ad* §. XII. *r.*). QUANTITAS MATERIÆ eſt menſura ejuſdem

Per Definitionem igitur Eſſentialem patet Rem definitam non eſſe repugnantem. Quod ſi per *non repugnans* intelligatur *poſſibile*; per Definitionem Eſſentialem patet Rem definitam eſſe poſſibilem. Definitio, per quam patet Rem definitam eſſe poſſibilem, Realis vocatur §.191. Si ergo WOLFIUS per *poſſibile* intelligit *non repugnans*, Definitiones Eſſentiales ſunt Reales. Similiter & Accidentales §.193. 4. Si WOLFIUS per *poſſibile* intelligit *exiſtens*, Definitiones Geneticæ ſunt Nominales. Enimvero Definitio æquivalet Propoſitioni Univerſali *per* §.212. Ergo Definitio Genetica æquivalet Propoſitioni univerſali. Eſt igitur univerſalis *per* §.246. Propoſitio autem Univerſalis eſt, cujus Subjectum eſt Genus, vel Species *per* §.242. Ergo Definitionis Geneticæ Subjectum eſt Genus, vel Species. Genus porro, vel Species non exiſtit, niſi in Individuis *per* §. 56. Definitionis ergo Geneticæ Subjectum non exiſtit, niſi in Individuis. Quoniam vero Definitio eſt Propoſitio Identica *per* §.272.; Definitum Definitionis Geneticæ non exiſtit, niſi in Individuis. Itaque per Definitionem Geneticam non patet Rem definitam eſſe exiſtentem, utut affirmetur, niſi ad Individua confugias. Quamobrem ſi per *poſſibile* intelligatur *exiſtens*, per Definitionem Geneticam non patet Rem definitam eſſe poſſibilem. Definitio, per quam non patet Rem definitam eſſe poſſibilem, Nominalis dicitur §.191. Si itaque WOLFIUS per *poſſibile* intelligit *exiſtens*, Definitio Genetica eſt Nominalis. Definitionis ergo Wolfianæ Definitionem teneo, Diviſionem reſpuo.

AUCTORI ARTIS COGITANDI *P.I. C.XII. XIII. XIV. P. II. C XVI. P.IV. C.IV.* DEFINITIO alia *Nominis* eſt, alia *Rei*, & utraque duplex. Quum termini æquivoci (II.a II.i §. XXIV. *r.*) clarum fixumque ſignificatum determino, hæc tum determinatio eſt DEFINITIO *Nominis*, vel, ſi cum LOCKIO loqueris (*b*), DEFINITIO. Exemplum: Vitæ Humanæ nomine... ſenſu pervulgato intelligo eam Corporis, quoad firma, fluida conditionem, quæ omnino requiritur, ut commercium mutuum inter Mentem, & Corpus dures

(*b*) *De Intell. Hum. L. III. C. 4. Parag. 5. T.I.p.22.*

dem orta ex illius denſitate, & magnitudine conjunctim. NEWTON *Princip. Mathem. Def.*e I.a USURA eſt quidquid ultra ſortem mutuatam percipitur. LANCELLOTTUS *Inſtit. Jur. Can.* III. 7. LEGATUM eſt donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præſtanda.

duret quodam modo, aut queat reſtitui, utcunque, nec neceſſe ſit id omnino tolli. BOERH.*Inſtit.Medic.*§.42.Huc pertinent quæ de Verborum ſignificatione Inſtitutionibus Juſtinianeis ſupponuntur. Quum termini originem expono, *Etymologia* : Teſtamentum ex eo appellatur, quod teſtatio mentis ſit. Furtum vel a furvo, ideſt, nigro dictum eſt, quod clam, & obſcure fiat, & plerumque nocte; vel a fraude; vel a ferendo, ideſt auferendo; vel a græco ſermone, quod φωρας appellant fures. Imo & Græci a ferendo φωρας dixerunt. *INSTITUT. de Teſtam. ord. pr. & de Obligat.* §.2. *Legeſis &* §. 5. *de Public. Judiciis*. Quum Rei Eſſentialia, DEFINITIO Rei : Furtum eſt contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve. §. *I. INSTITUT. de Obligat.* Quum Rei tandem Accidentalia, vel Accidentalia ſimul, & Eſſentialia, *Deſcriptio*. VIRGILIUS de Poliphemo Paſtore dat Exemplum:

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.
Lanigeræ comitantur oves, ea ſola voluptas.
Solamenque mali de collo fiſtula pendet. ÆNEID. III. 658.

Verumtamen prima eſt philologica Vocis explicatio, ſecunda grammatica, quarta rethorica, quas cum tertia DEFINITIONES appellare eſt DEFINITIONEM non intellexiſſe. Etenim ſi DEFINITIONEM hic AUCTOR definiiſſet, hæ quatuor confictæ ſpecies non magis in Genere convenirent, quam Leo, Stella, Argentum, Cucumis in Animali. Hanc iterum ergo diviſionem rejicio, ſtatuoque omnem DEFINITIONEM eſſe *Rei*, vel Divinæ autem, vel Humanæ (§.II. L.I.), adeoque *Realem* (*Ex term.*). Geometrarum igitur Definitiones *Reales* appello, nam Rerum ſunt, licet Humanarum. Hic autem loci me cohibere nequeo, quin Euclideas Definitiones ab hujus AUCTORIS iniqua cenſura liberem. VIII.a Definitio EUCLIDIS eſt : » Angulus Planus eſt duarum linearum in Plano ſe mutuo tangentium,

& non

ſtanda; §. I.° *INSTIT. de Legat.* OBSTRUCTIO eſt obturatio canalis, tranſitum tollens liquido, per eum transjiciundo, vitali, ſano, vel morboſo, orta ex exceſſu molis tranſituræ ſupra capacitatem vaſis transmiſſuri. BOERHAAVE *Aphoriſm. de cognoſc. & curand. Morb.* §. 107.

§.XVIII.

& non in directum jacentium, alterius ad alteram inclinatio ». Inde Problemate 9. L.i I.i jubet datum Angulum rectilineum bifariam ſecare. Atqui bifariam, dicit AUCTOR, Linearum inclinatio ſecari non poteſt, ſed ſolum ſub inclinatione Spatium; ergo EUCLIDES alium intellexit in Definitione Angulum, alium in Problemate. At porro quia Anguli Eſſentia in Linearum inclinatione conſiſtit (*i*), Definitio autem explicare debet Eſſentiam (*Ex præc.bus*); Definitio EUCLIDIS optuma. Quum vero Spatium neceſſario ſequatur inclinationem Linearum, & tale Spatium talem inclinationem, ut nec de inclinatione Linearum cogitari ſine Spatio poſſit; qui Angulum uno verbo nominat, ſatis clare utrumque nominat. Qui ergo Angulum biſecare jubet, Sectio autem nullo modo cadere ſupra inclinationem poteſt, tunc enim ſectio non eſſet, ſed ablatio, & annihilatio Anguli; perſpicue Spatium, nec vagum, ſed tale Spatium, ſub tali ſcilicet inclinatione, biſecare jubet. Quod ſi EUCLIDES definiiſſet Angulum, ut hic AUCTOR docet: » Angulus Planus rectilineus eſt Spatium duarum linearum concurrentium, indeterminatum quoad unam dimenſionem reſpondentem longitudini linearum, determinatum vero quoad dimenſionem alteram ex parte proportionali circumferentiæ cujuſdam, quæ pro centro punctum habet, quo lineæ concurrunt » definiiſſet Angulum per Genus remotum, & prolixe, & obſcure, & invertendus illi erat præfixus Definitionum ordo. Primo enim definire debuiſſet Punctum, hinc Lineas, inde Circulum, tandem Angulum, juxta regulas hujus AUCTORIS (*k*), alioqui Veras. Quum tamen hic rerum natura hunc ordinem recuſet, quod per ſe patet, Et a natura rerum aberrare defectus eſt ab hoc AUCTORE notatus (*l*), in defectum incidiſſet EUCLIDES. Carpit denique Definitiones RATIONIS, & PROPORTIONIS, quæ ſunt in Libro V. Sed illæ Diviſione tantum indigebant, quam poſteriores Geome-

(*i*) *TACQUET. ad Def.* 12. *L. I.*

[*k*] *P.IV.C.*11.*m.*° *Reg.Def.* 1.*&* 2.*p.* 360.*ſ. Verſ. Italicè Et contra Regulas definiendi, P.II. C.*3. *ſub.init.*

[*l*] *P.IV. C.*9.*defectu* 5. *Mirum eſt, ut hoc loco methodum EUCLIDIS improbet. Nempe hic Auctor Ordinem SCHOLÆ deſiderabat. Ordo tamen ille NATURALIS. Lege WOLF. Parag.*829. *Log.*

Digitized by Google

§. XVIII.

Propoſitio *A* (§.XIV.), Definitum in Inferiora, ex quibus per legem Imaginationis, & Abſtractionis eruperat (§.*XVII.* λ.μ.; *I.*ª *H. Ex.ad* §.*X*; *&* I.ª II.ⁱ §. *XVII.* *&* *ſeqq.*), exacte, ordinate, & cum disjunctione, vel conjunctione reſolvens, eſt Divisio. ν· Subjectum appellatur *Diviſum*, ξ· Prædicatum *Dividentia*, ο· Utrumque *Diviſio*. π· *Dividentia* igitur *Diviſum* adæquent, ρ· Alterique alterum repugnet, Alterumve in altero non lateat, ς· Sitque *Diviſio* Dictum de Omni (§.*XV.*).

Definitio: Subſtantia eſt Subjectum eorum omnium, quæ Enti inſunt (§. *XXIV. L. I.*). Divisio: Omnis Subſtantia vel eſt Simplex, vel Compoſita. Subdivisio: Simplex vel eſt Cogitans, vel Incogitans. Def. Philoſophia eſt Rerum Divinarum, & Humanarum, Cauſſarumque, quibus hæ res continentur, Scientia (§. *II. L. I.*). Div. Philoſophia conſtat Logica, Metaphyſica, Matheſi, Phyſica, & Morali (§. *XXXIX. L.I.*), *&c.* Def. Theologia eſt ex revelatis Principiis comparata Doctrina (§. *V. L.* I.*a.*). Div. Eſt Poſitiva, Scholaſtica, & Myſtica. Subd. Polemica, Dogmatica, Adiaphora. BERTI *Prolegom.* *C.*ᵉ 2.º *med.* Def. Medicina eſt Scientia docens Humani

mani

træ ſupplevere. At hæc querela vetus erat, Rami quidem, & Huetii, *Demonſtrationis Evangelicæ ad Definitionem* VII. *paginâ* 12. *&* 16. *T.*I. *Amſtelodami* 1680. Hic etiam addiderat: » Reciprocari debere invicem Definitionem, & Definitum, Decretum eſt philoſophicum.... Jam fac periculum in Definitione Puncti: Punctum eſt, cujus nulla eſt pars. Id ergo, cujus nulla eſt pars, eſt Punctum. Atqui DEI nulla eſt pars. DEUS igitur Punctum eſt ». Sed hæc Definitio, reſponderem Huetio, inſtar eſt Axiomatis.

Digitized by Google

mani Corporis Vitam integram, & Sanitatem conſervare, & reſtituere. Div. Ergo erit primo agendum de Vita. Deinde Sanitas enarratur. Tandem de Morbis. Denique de Remediis tractare decet. BOERHAAVE *Inſtit. Medic.* §. §. 33. 37. Def. Eſt Jus Canonicum, quod Civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit. Div. Conſtat Divinæ Legis Præceptis, Conſuetudine, & Conſtitutionibus. LANCELLOTTUS I.° 1.° JUSTINIANUS autem, non definito Jure, ut hinc pateat Juri Ideam Confuſam reſpondere. (*I.° II.*ⁱ §. *XXXV.* (*f), hanc Divisionem fecit: „ Hujus Studii duæ ſunt poſitiones, Publicum, & Privatum. (Def.) Publicum Jus eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Privatum, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet. (Propoſitio Practica §. *VIII.* 2.) Dicendum eſt igitur de Jure privato, (Subd.) quod tripartitum eſt: collectum eſt enim ex Naturalibus Præceptis, aut Gentium, aut Civilibus „ *&c.* INSTITUT. *I.* 4. II. 3. CICERO definito negligenter Officio I. 1. (*g) hanc Divisionem ſuppoſuit: „ Primum eſt de Honeſto, ſed dupliciter: Tum pari ratione de Utili: Poſt de Comparatione eorum diſſerendum eſt „ I. 2. Definitoque ſimiliter (**h*) Honeſto I. 3.: „ Omne, quod Honeſtum eſt, inquit, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur. Aut in Hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide. Aut in animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore. Aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, ac temperantia „ I. 4. Et ſic porro.

[*f] *Conf.* HEINNEC. *Elem. Jur. Parag.* 33.

(*g) *Diviſionem enim dedit pro Definitione: quod eſt vitium eorum, qui Definiti Idea Diſtincta carent. Ne careant, legant* VVOLFIUM, *definiendi peritiſſimum.*

[*h] *h. e. conſenſe* [*g].

§. XIX.

Nullum itaque invenies Scriptum, nullum ratiocinantem Hominem ſine Definitionum, ac Diviſionum uſu (§.§. *XVII. XVIII.*).

Imo Definitionibus, Diviſionibuſque omnes ſermones noſtros, ac immenſa volumina complemus. [r] Definitione quidem, vel Audientem, vel Legentem edocturi, vel nobiſmet, vel aliis quærentibus ſatisfacturi; Quid Res ſit, declaramus: [v] Diviſione autem, Quotuplex (§§.I & II.L.I;I.[a] II.[i]; II.[a] II.[i]; I.[a] & II.[a] H.§.I.) 75. Non cujuslibet igitur eſt, nec qualitercunque Rerum Definitiones, ac Diviſiones condere, ſed ejus dumtaxat, cui ſint Res omnino compertæ; ut ita non libito quodam, cæcove animi impetu, ſed a Rerum natura extrahantur.

§. XX.

Sed eſt alia minutior Diviſionis ſpecies (§.§.*XIX.XVIII.*), quam Partitionem appellare poteris, quæ, vel Extrema (§.*II.*), vel Adjuncta diſſolvens, mirifice rem auget, minuitve; quæque igitur Oratoris eſt, cujus tota vis Quinctiliani ſententiâ (*d*) in augendo, minuendoque conſtitit.

(*d*) *Lib. VIII. C. ſ. 3. p. 401. Oxonii 1693.*

Omnis

75. Quam Oratores Aſſumptionem dicunt, Propoſitionis Finalis, quæ ſcilicet totius Orationis eſt cardo, quæque in deliberandi genere eſt practica, plerumque, hoc ſpeciatim Sæculo, eſt Divisio, & Argumenta Subdivisiones, tum illa, quum iſtæ a Propoſitione Finali, non ab inſolenti Oratoris invento educendæ. Hæ autem Divisiones, Subdivisionesque non edocent, Quotuplex; ſed vel Quomodo, vel, quod eſt frequentius, Quare Sit Id, oſtendunt (§.IX.). Exemplum: Propositio Fi-

Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt (PARTITIO) ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in Juſtitia II.ª ad TIMOTH. III.° 16. Nulla Vitæ pars (PART.) neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt. I. OFFICIOR. *proœm*.

Omnes, cum ſecundæ res ſunt maxime, tum maxime
Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam ærumnam ferant. (PART.)
Pericla, Damna, Exilia peregre rediens ſemper cogitet,
Aut filj peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ,
Communia eſſe hæc: fieri poſſe, ut ne quid animo ſit novum,
Quidquid præter ſpem eveniat, omne id deputare eſſe in lucro. PHORMION. I.° V.ª
Quid reliqui eſt, quin habeat, quæ in homine dicuntur bona. (PART.)
Parentes, Patriam incolumem, Amicos, Genus, Cognatos, Divitias.

Atque

FINALIS: Diligendus eſt DEUS. DIVIS. per QUOMODO: Toto Corde, Tota Mente, Tota Anima. MATTH. XXII. 37. SUBD. Toto Corde, noſtros omnes affectus ad DEUM dirigentes; Tota Mente, de DEO ſemper cogitantes; Tota Anima, agentes propter DEUM omnia. PROP. FIN. Parcendum eſt Inimico. DIVIS. per QUARE: Quia Parcenti Honeſtius, Utiliuſque. PROP. Cum venerit Paraclitus, arguet Mundum. DIVIS. De Peccato, & de Juſtitia, & de Judicio. SUBD. De Peccato quidem, quia non crediderunt in me. De Juſtitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De Judicio autem, quia Princeps hujus Mundi jam judicatus eſt. JOANN. XVI. 8. 9. 10. Hæc vero ideo a nobis annotantur, quia Dialectica quaſi contracta & adſtricta Eloquentia putanda eſt, juſta Eloquentia Dialectica dilatata. CICERO *de Claris Oratoribus* 309. 41.

Digitized by Google

Atque hæc perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet.

Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala. HEAUTONTIMORUM. I.° II.ª

. . . . Væ miſero mihi!

Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt. (PART.)

Vis, Egeſtas, Injuſtitia, Solitudo, Infamia. ADELPH. III.° II.ª

Diſcrucior animi: hoccine de improviſo mali mihi objici

Tantum, ut neque quid me faciam, neque quid agam certum ſiet? (PART.)

Membra metu debilia ſunt, Animus timore obſtupuit, Pectore

Conſiſtere nihil conſilii quidquam poteſt. ADELPH. IV.° IV.ª

Hæc mea, ſi caſu miraris, Epiſtola quare
Alterius digitis ſcripta ſit, æger eram. (PART.)
Æger in extremis ignoti partibus orbis,
Incertuſque meæ pene ſalutis eram.
Quid mihi nunc animi dira in regione jacenti
Inter Sauromatas eſſe, Getaſque putes?
Nec Cœlum patior, nec aquis aſſuevimus iſtis,
Terraque, neſcio, quo non placet iſta modo.
Non domus apta ſatis, non hic Cibus utilis ægro;
Nullus apollinea, qui levet arte malum, eſt.
Non qui ſoletur, non qui labentia tarde
Tempora, narrando fallat amicus adeſt.
III.° TRIST. III.ª

♦. Quam denique *Diſtinctionem* vocant, DIVISIO eſt, qua æquivoca determinantur, Genera in Species, vel Differentias diſpeſcuntur. Subtiles in *diſtinguendo* SCHOLASTICI. At nimio non infrequenter acumine, ſæpius igno-

rantia

rantia ſub ſpecie Scientiæ, in non entia & commenta deſivere.

§. XXI.

Propoſitio *A* (§.*XIV.*), ex Definitione orta (§.*XVII.*), velut e ſole radius, eſt Axioma, ſi Theoretica (§.*VIII.*); Postulatum, ſi Practica (§.*cit.*). Utraque *Propoſitio per ſe nota* 76., h. e. *ex terminis manifeſta*, ſeu *Indemonſtrabilis*, & viciſſim.

Definitio: Homo eſt Animal Rationale (*Ex.ad* §. *XV*II.). Axiomata: Homo eſt Animal, Homo eſt Rationalis (**i*). Def. Ens eſt Quidquid eſt, ſive Quidquid concipi, vel intelligi poteſt (§.XXIV.L.I.). Ax. Ens eſt Conceptibile, vel Intelligibile. Def. Vis impreſſa eſt actio in Corpus exercita, ad mutandum

(*i) *Legeſis* *VVOLF. Parag.* 268. *Log.*

S ejus

76. *Propoſitiones per ſe notæ* ſunt, quæ ſtatim notis terminis cognoſcuntur. Hoc autem contingit in illis Propoſitionibus, in quibus Prædicatum ponitur in Diffinitione Subjecti, vel Prædicatum eſt idem Subjecto. B. Thomas *Lect. 5. in IV. Metaphyſ. Ariſtot. lit. G.* Ad hoc, quod aliquid ſit *per ſe notum*, nihil aliud requiritur, niſi, ut Prædicatum ſit de ratione Subjecti: tunc enim Subjectum cogitari non poteſt ſine hoc, quod Prædicatum ſibi ineſſe appareat. Ad hoc, quod ſit *per ſe notum* nobis, oportet, quod nobis ſit cognita ratio Subjecti, in qua concluditur Prædicatum. B.Thomas *QQ.bus variis, Q. de Mente, Artic. XII. in Corp.* Hac diſtinctione (§.XX.φ.), quam reperit *1.a P.e Q. II. Art.* I. *in Corp.*, Propoſitionem » DEUS eſt » dicit *per ſe notam*, at non *per ſe notam nobis*. Quæ duo idem mihi videntur, ac Quadratus Circulus. Ceterum ita non hæc tantum » DEUS exiſtit »; ſed quæcunque Propoſitio demonſtrabilis erit *per ſe nota*, non tamen *per ſe nota nobis*. Id quod Thomæ, & Thomistis diſplicere puto.

Digitized by Google

ejus ſtatum vel quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum. Ax. Corpus omne perſeverat in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare. NEWTON *Princip. Mathem. Def.* 4. *Ax.* 1. Def. Prophetia eſt narratio rerum futurarum, quæ nondum contigerant eo tempore, quo Prophetia illa edita eſt, quæque ex naturalibus cauſis prævideri non poſſunt. Ax. Omnis Prophetia eſt verax, quæ prædixit res eventu deinde completas. HUET. *Demonſtr. Evang. Def.* 4. & *Ax.* 3. Def. Judicium eſt diſcuſſio cauſæ, quæ rite fit in foro coram Judice. LANCELLOTTUS III. 1. *pr.* Ax. Judicium eſt diſcuſſio Cauſæ. Def. Fidejuſſor eſt, qui alienæ obligationi mediante ſtipulatione, & ſine novatione accedit. Ax. Fidejuſſio eſt ſtipulatio 77. HEINNECIUS *Elem. Jur.* §§. 873. 874. (*k). Def. Rectæ lineæ Parallellæ ſunt, quæ in eodem plano exiſtentes, utrinque in infinitum protractæ æqualibus ſemper intervallis inter ſe diſtant. Generantur parallellæ, ſi recta ad rectam perpendicularis ſemper perpendiculariter moveatur. Ax. Parallellæ lineæ communi perpendiculo utuntur. TACQUET *Def.* 36. & *Ax.* 11. *L. I.* Definitio: Religio munda, & immaculata apud DEUM, & Patrem hæc eſt: viſitare Pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc Sæculo (*l). JACOB. I. 27. Postulatum: Qui vult ergo Religionem immaculatam tenere, viſitet pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodiat ab hoc Sæculo. Def. Sunt Sortilegi, qui prætextu Religionis, per quaſdam ſortes, divinationis Scientiam profitentur, aut, quarumcunque Scripturarum inſpectione facta, futura promittunt.

(*k) *Legi ſis eundem ibid. Parag. 395. 807.*

(*l) *Propoſitio ſcilicet Practica (Parag. VIII.) inſtar Definitionis (Parag. XIX. 7.)*

Post.

77. Stipulatio eſt Fidejuſſio, Animal eſt Homo, ſunt falſæ Propoſitiones. Axiomata enim non ſemper convertuntur, quia Completæ Propoſitiones non ſunt, ut Definitiones, unde profluxerunt.

Poſt. Ariolorum igitur, Aruſpicum, Incantatorum, & omnium Sortilegiorum artes, cum ſint ex quadam peſtifera ſocietate Dæmonum, atque hominum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt ab Eccleſia eliminanda. Et ſuperſtitioſi Artifices, niſi per Pœnitentiam reſipiſcant, perpetuo anathemate feriendi, &, ſi Clerici ſint, degradandi. LANCELLOTTUS *IV.*5.*pr.* Def. Dolus eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum, fallendum, circumveniendum alterum adhibita. Poſt. Dolus ſemper, & in omni Contractu præſtandus, nec conveniri poteſt, ut ne dolus præſtetur. HEINNECIUS *Elem.Jur.*§.§.784.785. (*m). Def. Gangræna eſt ea partis mollis affectio, quæ, abolito influxu vitalis humoris in arterias, effluxu per venas, in mortem tendit. Sed Sphacelus ea, quæ jam in tota parte omnem vitalem actionem perfecta morte deſtruit, ſuperſtite vita in reliquis. Ax. A Gangræna Sphacelus; A Sphacelo mors partis, & vicinorum cita infectio. Poſt. Gangrænæ illico ſuccurrendum, Sphacelus illico extirpandus. BOERHAAVE *de cognoſc. & curand. Morb.* §.§. 419. 432. (*n). Def. Lineæ termini ſunt Puncta. Poſt. A quovis Puncto ad quodvis Punctum rectam Lineam ducere. TACQUET *Def.* 3. *& Poſt.* 1. L. 1.

[*m] *Quod ille cum reliquis ejuſdem Parag. vocat Axiomata. Equidem Poſtulatum, quatenus eſt Propoſitio per ſe nota, eſt Axioma. Quatenus autem practica, non eſt Axioma. Non ſunt igitur Axiomata, ſed Poſtulata, quæ habet in Parag. 210. 381.*

[*n] *Cetera hujus Parag. 432, quæ Regulas vocat, ſunt Axiomata, & quæ ponit Parag. 1086. de Methodo medendi, 1. 2. 3. 4. 6. 9. 10. 11. ſunt Axiomata; 5. 7. 8. 12. 13. Poſtulata. Sunt tandem Axiomata ea Parag. 500. ad 505. Oeconom. Animal. ex Deſcriptionibus anatomicis orta.*

§. XXII.

Propoſitio *A*, vel *E* (§.XIV.), ex Definitionibus, Axiomatis, vel Poſtulatis illata (§.§.XVII. XXI.), eſt Theorema, ſi Theoretica (§.§.VIII.XI.), Problema, ſi Practica (§.§. *cit.*); Utraque ergo Propoſitio *Demonſtrabilis*. (*e*).

(*e*) *Legeſis* BAUMEISTER. *Parag.* 224. 225. *Log.*

Propoſitiones x. Demonſtrationis Evangelicæ PE-TRI

TRI DANIELIS HUET ſunt THEOREMATA. Propoſitio IV. EUCLIDIS *Elem. Geom. L. I.* „ Si duorum Triangulorum latus unum uni, & alterum alteri ſit æquale, angulique ab illis lateribus facti etiam ſint æquales; æquabuntur etiam & baſes, & tota Triangula, & reliqui ad baſim Anguli, qui lateribus æqualibus opponuntur „ illata ex Axiomatis 7. & 8., eſt THEOREMA. Nimirum per 8. mutuo ſibi congruent, per 7. erunt æqualia. Propoſitio HEINNECII §. 277. *Elem. Jur.* „ Is, quem Tutor, vel Curator, morbo, vel alia neceſſitate coarctatus, ſuo periculo, & ex decreto Magiſtratus ante litis conteſtationem conſtituit, non Procurator, vel Curator vocatur, ſed ab his Actoris nomine diſtinguitur „ illata *ex* §. 265., *ex L.* 1. *D. de Procur., & ex* §. *ult. Inſtit. de Curator.*, eſt THEOREMA. Sic autem effertur: „ Quum Curator, veluti Procurator ſit §. 265., Procurator vero nonniſi a Domino conſtitui poſſit *L.* 1. *D. de Procur.*; Is, quem Tutor, vel Curator, morbo, vel alia neceſſitate coarctatus, ſuo periculo, & ex decreto Magiſtratus ante litis conteſtationem conſtituit, non Procurator, vel Curator vocatur, ſed ab his Actoris nomine diſtinguitur §.*ult. Inſtit. h. tit.* „ (*o). Imitatur THEOREMA Propoſitio LANCELLOTTI: „ Dignum eſt, ut qui divinis adſcribuntur obſequiis, Eccleſiæ ſuſtententur ſtipendiis „. Nimirum: „ Cum enim, ut Lex divina præcipit, qui Altari ſervit, de Altari debeat & vivere; dignum eſt, ut qui divinis adſcribuntur obſequiis, Eccleſiæ ſuſtententur ſtipendiis „. *Inſtit. Jur. Can. I.* 26. *pr.* Imitatur etiam THEOREMA Propoſitio BOERHAAVE „ Sanitas perfecta ſeipſam deſtruit „. Sic autem poſita eſt: „ Sanitas enim quum ſit aptitudo in Corpore ad exercendas actiones, Et quum hæc conſiſtat in determinata mobilitate partium tam firmarum, quam fluidarum; neceſſario hæc ipſa, inquam, Sanitas, ſi ſemel ponatur perfecta, deteret ex natura ſua partes firmas, conſumet fluida, corrumpit utraſque, adeoque

(*o) *Sunt etiam Theoremata Parag.* 280. 488. 781.

que ſeipſam deſtruit ,, . *De Sanit. tuend.* §. 1618. (*p*) . Propoſitio I.ª L. I.ⁱ EUCLIDIS ,, Super data recta linea Triangulum æquilaterum conſtituere ,, Per Poſtulatum 3., & 1., Axioma 1.; Definitiones 18.24. 25., eſt PROBLEMA. Nempe per Poſtulatum 3. fiunt duo Circuli, quorum Centra ſint datæ Rectæ Extrema. Per Poſtulatum 1. ducuntur Rectæ ab Extremis Datæ uſque ad punctum, quo ſeſe interſecant Circuli. Jam hæ tres ſunt Triangulum, *per hujus Def.* Quum autem factæ Lineæ ſint cum data Linea radii ejuſdem Circuli, *per Conſtructionem*; ſunt æquales Datæ, *per Def. Circuli*. Ergo æquales inter ſe, *per Ax.* 1. Conſtitutum eſt adeo Triangulum æquilaterum, *per hujus Def.* Quod erat conſtituendum. Propoſitio HEINNECII §. 401. *Elem. Jur.* ,, Dominantem, & hic ordinarie parietem, vel columnam vicini, cui ædes ſuæ incumbunt, reficere debere ,, *Per Ax.* 2. §. 395., & *Corollarium 6.* §. 397., eſt PROBLEMA. Sic vero ſcriptum eſt: ,, §. 401. Quum ſervitus in faciendo non conſiſtat (§.395.2.), Nec ſerviens ad refectionem ordinarie teneatur (§.397.6.); facile patet, Dominantem, & hic ordinarie parietem, vel columnam vicini, cui ædes ſuæ incumbunt, reficere debere ,, (*q*). Eſt quoque PROBLEMA Propoſitio LANCELLOTTI ,, Religioſus, qui Regularem Ordinem ante non fuerit expreſſe profeſſus, in Abbatem, vel ad aliam Regularium Prælaturam eligi non poterit ,, . Sic autem legitur. ,, Cum in Magiſtratum aſſumi non debeat qui formam diſcipuli non aſſumpſit, Nec ſit præficiendus qui ſubeſſe non novit; Religioſus, qui Regularem Ordinem ante non fuerit expreſſe profeſſus, in Abbatem, vel ad aliam Regularium Prælaturam eligi non poterit ,, . *Inſt. Jur. Can.* I. 30. *f.* 78.

(*p*) *Legeſis & Parag. 631. Oecon. Animal. & Librum de Viribus Medicamentorum C. 3. n. 5. p. 15. Venetiis 1761. & C. 5. Parag. 2. p. 50. & C. 12. p. 98. &c.*

(*q*) *Eſt etiam Problema Parag. 485.*

T   χ. Quæ-

78. THEOREMA igitur Propoſitione conſtat, & Demonſtratione, h.e. illatione Propoſitionis ex præcedentibus Veritatibus. PROBLEMA Geometricum Propoſitione, Reſolutione, & De-

χ. Quæſitum perdifficile, & breve, vel practicum porro, vel theoreticum, dicitur etiam PROBLEMA.

Cur figura Cerebri ſphærica? Unde ſcitur, cur riſus fere in tuſſim deſinat? BOERHAAVE §.§. 296. 636. *Œconom. Anim.* Sunt quoque PROBLEMATA §.§. 625. 635. 88. 102. 201. 263. 690. 694. *Œconom. Anim.* §. 991. *de cognoſc. & curand. Morb.* Hujuſmodi ſunt priſca illa ARISTOTELIS, & APHRODISEI, in quæ nuper commentatus eſt GIUFFRIDA (*Not.* 59.).

ψ. Poſtremo dubia quævis Propoſitio, vel ad modum Dubii (*§.II.& I.ª H.§.XVIII.α.*), PROBLEMA dicitur, vel QUÆSTIO.

Plenus eſt ſextus Liber de Officiis Hecatonis talium QUÆSTIONUM: Sitne boni viri in maxima charitate annonæ familiam non alere. In *utramque partem* diſputat; ſed tamen ad extremum utilitate putat Officium dirigi magis, quam Humanitate. QUÆRIT, ſi in Mari jactura facienda ſit; Equine pretioſi potius jacturam faciat, an ſervuli vilis? Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas; *&c.* CICERO III. *Officior.* 15. Inter Scholares olim DUBITARI contigit, ſi ſpoliatus a tertio contra ſuum accuſatorem de ſpo-

Demonſtratione. Quid ſit agendum, Propoſitione dicitur; Quomodo, Reſolutione; Utriuſque Veritas, ex præcedentibus illata, eſt Demonſtratio. Noſtra SCHOLA (§.XX.L.I.) abundat THEOREMATIS. Imitantur PROBLEMATA II.ª II.ᵉ §§. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXII. XXXIII. In WOLFII Logica ſunt PROBLEMATA §§. 761. 788. 789. 790. 724. & ſimiles. Ceteri fere omnes THEOREMATA. In BOERHAVE tandem imitantur PROBLEMATA §§. 990. 650. 657. 658. 639. 640. 641. 434. 435. 436. *&c. de cognoſc. & curand. Morb.*

ſpolio excipiat, an ei tempus indulgeri debeat, infra quod reſtitutionem imploret, ne forte ſic exiſtens omnem accuſationem eludet? Et id æquitati, & juri ſatis conſonum viſum fuit; unde ſi infra tempus indultum reſtitutionem non petierit, & cauſam cum poſſit tutiorem non produxerit, non obſtante exceptione ſpolii, deinceps accuſari poterit. LANCELLOTTUS III. 8. *ſ. ſ.* Huc ergo pertinent qui *Caſus Morales* vocantur.

§. XXIII.

Propoſitio *A*, vel *E* (§.*XIV.*), in gratiam Theorematis, vel Problematis demonſtrandi aſſumpta (§.*XXII.*), eſt LEMMA, ſi & ipſa nunc oſtendatur; ſi alibi oſtenſa, vel oſtendenda ponatur, HYPOTHESIS.

Propoſitio EUCLIDIS: „ Cylindri Hemiſphærio inſcripti in Hemiſphærium deſinunt „ eſt LEMMA ad Propoſitionem 28. XII.^{i} L.^{i} „ Sphærarum Proportio eſt triplicata proportionis Diametrorum „. GASPARIS SCOTTI Propoſitiones 12. ad Elementa Sphærica, & HERMANNI BOERHAAVE poſitiones in §. 27. *rei Medic.* ſunt HYPOTHESES (*r).

[*r] *Conſ. Parag.* 26. 29. *Oeconom. Animal.*

α. Eſt rurſum HYPOTHESIS Propoſitio non demonſtrata, nec forte demonſtrabilis, attamen aſſumpta ad datam aliam quamcumque Propoſitionem, vel Propoſitionum ſeriem, vel phænomenon explicandum, ut notiſſima illa COPERNICI: *Sol quieſcit, & Terra movetur*, & *præſtabilita* WOLFIANORUM inter Mentem, & Corpus *Harmonia*.

Digitized by Google

α. Eſt iterum Hypothesis Propoſitio impoſſibilis aſſumpta ad datam veram exaggeratione demum obſignandam, ut illa Paulli I. *ad Gal.* 8. „ Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema ſit „.

β. Eſt etiam Hypothesis quæcunque conditio, qua cohærent extrema (§.*II.*). γ. Oratoribus tandem idem eſt, ac *Fictio*, qua videlicet Propoſitio, fortaſſe non vera, ſed poſſibilis, ad veram perſuadendam aſſumitur. At de his (β. γ.) poſtea.

§. XXIV.

Propoſitio *A*, vel *E*, ex Definitione, Axiomate, Poſtulato, Theoremate, Problemate, Lemmate, Hypoteſi (§.§.*XIV.XVII.XXI. XXII.XXIII.*) ſtatim illata, eſt Corollarium (§.*XV.L.I.*; §.§.4.6.8.10.12.14.16.*Prologi*; I.ª II.ⁱ §.§.*XV.XVIII. &c.*).

Definitio. Eſt in propoſito Votum ſimplex, quod non eſt aliqua profeſſione munitum. Solemne, quod quis per profeſſionem tacitam, vel expreſſam comprobavit. Corollarium. Is igitur, qui legitima in ætate conſtitutus, habitum induit ſponte religioſum, propoſitum ultro ſuſceptum deſerere non poterit; ſed proprio Abbati obediens in Caſtitate in proprio deget Monaſterio. LANCELLOTTUS *I.* 30. *ſub med.* Axioma. Fidejuſſio eſt negotium virile, & civile. Corollaria. Quum Fidejuſſio ſit civile, ac virile negotium, conſequens eſt, ut 1. Fœminæ nec

nec pro extraneis; propter Sc. Vellejanum, nec pro viris ſuis intercedant, propter *Nov.* 134. 2. ut nec pro aliis jure intercedant Milites *L.*8. §.1. *D. qui ſatisdar. cog.* 3. nec pro Laicis Clerici, *Nov.* 123. *Cap.* 26. HEINNECIUS *Elem. Jur.* §.§. 874.876. (*ſ). THEOREMA. Quidquid ſolvit Fibræ alicujus continuitatem, id naturalem illius contractionem promovet. Sic igitur Arteriæ, Venæ, Fibræque noſtræ vulneratæ & ſciſſæ ſeſe contrahunt; hinc etiam Ignis, Corroſiva, & Vulnerantia ſunt Cauſæ Contractionis. COROLLARIUM. Ergo Medicamenta plurima *contrahentia* operantur vulnerando, & lædendo. BOERHAAVE *de Vir. Medicam.* P. 1. *C.* 2. *Theor.* 1. *& ej. Coroll. p.*120. (*t).

[*ſ] *Sunt etiam Corollaria Parag.* 808. *& ſeqq.* 845. *& ſeqq.* 582. *& ſeqq.* 849. 850. 860. 820. *& ſeqq.* 798. *& ſeqq.* 994. *& ſeqq.*

[*t] *Sunt itidem Corollaria Parag.* 1020. 1022. *de Sanit. tuend. Parag.* 400. *Oeconom. Animal. &c. Conf.* 9. *I.* EUCLIDIS.

§. XXV.

Propoſitio *A*, vel *E*, ſit Definitio, ſit Axioma, Poſtulatum, Theorema, Problema, Lemma, Hypotheſis, vel Corollarium (§.§. *XIV. XVII. XXI.* ad *XXIV.*); modo ſit Propoſitionum fulcrum, & origo allarum, eſt PRINCIPIUM; Principiorum autem Principium eſt PRINCIPIUN PRIMUM 79. SCHOLIIS denique

79. AUGUSTINUS GIUFFRIDA (*Not.*59.) *Diſputatione, Scrupulo, numeroque* 1., *Tres conditiones*, inquit, *in PRIMO VERITATIS OSTENDENDÆ PRINCIPIO neceſſarias edidici, & altiore mente repoſui: primam, ut circa illud non poſſit, quicunque advertat, errare; alteram, ne ſit conditionale, nimirum ex poſtulatis ac poſitionibus; tertiam, ut acquiri nequeat per formalem demonſtrationem, aliter non eſſet primum. Talia nec refellere unquam potui, nec vidiſſe quaſſata, fateor, ab ipſa Philoſophiæ memoria, conſultis etiam acerrimis Cavillatoribus.* Id quod ANGELICA Auctoritate confirmat *Lect. 6. in IV. Metaphyſ.* ARISTOTELIS. Atqui Propoſitio „ Aurum eſt flavum „ ea eſt, circa quam non poſſit, qui-

que (§.§. V.XXI.XXII.&c. L.I.; I.ª II.ⁱ §.§.III.IV. V.&c;II.ª II.ⁱ §.§.III.IV.VI.&c;I.ª H.§.§.III.IV.&c; II.ª H. §. §. XIII. *ad* XVI. &c), vel NOTIS (1. *ad*

quicumque advertat, errare; Conditionalis non eſt; Nequit per formalem demonſtrationem acquiri, ſi formalis demonſtrationis Vocabulo non abutamur (*m*). Ergo Propoſitio » Aurum eſt flavum » eſt PRIMUM Veritatis oſtendendæ PRINCIPIUM. Atqui rurſum Propoſitio » Si æqualibus æqualia addas, Tota erunt æqualia » (*n*) eſt Conditionalis. Ergo nec eſt PRINCIPIUM. Quæ tamen vir doctus, ſi ſuæ Scholæ conſentanea docere velit, facile largietur eſſe abſurda. Illas itaque Conditiones dediſcere GIUFFRIDA poterit. Nec ANGELICA Auctoritate movemur. Nam ANGELICA non eſt, ſed ARISTOTELEA. Alioquin LUDOVICI DULCIS Orationes, LUDOVICI eſſent, non CICERONIS. Porro ut TULLIANAS ille Orationes ex Latino in Italicum vertit Idioma: Sic ARISTOTELEAS Lectiones ANGELICUS ex barbaro, obſcuroque Stylo in minus barbarum, minuſque obſcurum. Nec tandem, ſi eſſet, ullius ſumus addicti jurare in verba Magiſtri. *PRINCIPIUM*, pergit GIUFFRIDA (*ibid.n.2.*), *cui negare non poſſumus enumeratas Conditiones, conclamatur*: *Impoſſibile eſt Idem ſimul eſſe, & non eſſe; aut Quolibet vel eſt, vel non eſt*. Diſtinguo: Enumeratæ Conditiones huic congruunt Axiomati, & cuivis alio, Logico, Metaphyſico, Mathematico, Phyſico, Morali, modo ſit Axioma (§.XXI.), imo & illi etiam Propoſitioni » Aurum eſt flavum », & huic ſingulari » Sol lucet, & ardet », concedo; ARISTOTELEO tantum Axiomati, nego. *Hujus virtute cogimur ad alterutrum virtute Contradictionis, quæ virtus eſt omnium maxima, & ſine aliquo intermedio*. *Vero quicunque error provenit ex Ignorantia*. Diſtinguo: ex Ignorantia, & Perturbationibus, concedo; tantum ex Ignorantia, nego. *Et quia nemo poteſt hoc ignorare*. Nego. Ignorant enim pueri, ignorant adulti. Te ad Experientiam provoco. Interim LOCKIUM lege (*o*). Confer etiam, oro, *Not.* 72. *Nemo poterit circa hoc errare*. Nego. Errarunt enim multi. Lege ANGELICUM, ad quem appellaſti, *Lect. 6. in IV.ᵐ Metaphyſ. ARIST. lit. d. & Lect.* 7. 8. 9. 10. 16. Sceptici autem quales fuerint, non noſti? Lege EMPIRICUM in Pyr-

[*m*] *Demonſtratio eſt dubia Propoſitionis deductio in eam evidentiam, ut a nemine negari poſſit, qui generalia Axiomata admiſerit. HALLER Medicus in Parag. 25. Inſtit. Rei Medic. BOERHAAVE*

[*n*] *Axiom. 2. l. EUCLIDIS*.

(*o*) *De Intell. Human. L. I. C. 2. Parag. 4. ſ. Parag. 12. 16. 23. m. Parag. 25. ſ. Parag. 27. & C. 4. Parag. 3. 4.*

(1. *ad* 79.), Obſcura ubilibet enucleamus, dubia diſſolvimus, origines rerum, vel exceptiones indicamus, & ſi quæ ſcitu digna, jucunda, vel utilia, intermiſcemus.

Adjun-

Pyrrhonicarum Hypotyposeon Libris. *Nonne credibile non eſt, poſſe admitti ab unoquopiam Ideas quantum ad unum, idemque objectum duas Contradictorias, quarum una deſtruit, negatque id, quod per aliam affirmat?* Credibile eſt, atque verum (*ex præc.bus*). Quæ ego non dico, ut illud elevem PRINCIPIUM, mihi probatiſſimum, ſed ut GIUFFRIDÆ Ratiocinationem Philoſophis aperiam. *Eſto ſimile: In phyſicis quod eſt compoſitum non poteſt eſſe Principium, nec Principium poteſt ex aliis fieri. Ergo quod in metaphyſicis eſt Primum Medium inveniendæ Veritatis, eſſe debet per ſe verum, & indemoſtrabile*. Diſtinguo antecedens: In phyſicis quod eſt compoſitum non poteſt eſſe Principium Primum, nec Principium Primum poteſt ex aliis fieri, concedo, & concedo, quia hac in re WOLFIANUS ſum, ac tu etiam ſis oportet, niſi tibi Materia, Forma, & Privatio, vel Puncta, & Commata ſummopere placeant (*p*). Nam ſi WOLFIANUS non eſſem, negarem antecedens cum illis omnibus, qui Extenſum ex non Extenſo fieri abſurdum eſſe dixerunt (*q*). Sed ad argumentum redeamus. *In phyſicis quod eſt compoſitum non poteſt eſſe Principium* ullum, ulloque modo; nego. Quotus enim quiſque eſt, qui ignoret tripartitam a Phyſicis Principiorum ſeriem in *metaphyſica, mechanica, & ſenſibilia* (*r*)! *Ergo quod in metaphyſicis eſt Primum Medium inveniendæ Veritatis eſſe debet per ſe verum, & indemonſtrabile*; concedo conſequentiam. At ego ſic inſto: Atqui in phyſicis Prima Principia ſunt prope infinita. Ergo & in metaphyſicis. Atqui rurſum omnia Axiomata, & Propoſitiones » Aurum eſt flavum, Ignis urit, Sol lucet » *&c.* ſunt per ſe veræ, & indemonſtrabiles (*ex præc.bus*). Ergo ſunt Prima Media inveniendæ Veritatis. GIUFFRIDA videlicet AXIOMA, PRINCIPIUM, PRINCIPIUMque PRIMUM, tria omnino diverſa, unum fecit. Conſequentia vero hæc eſſe debuiſſet: Ergo quod eſt in metaphyſicis Principium, eſſe nequit ab alio. Quam ego hac exciperem diſtinctione: Ergo quod eſt in metaphyſicis PRINCIPIUM PRIMUM eſſe nequit ab alio, concedo;

quod

[p] *In Tyrocinio Phyſico IV. 6. p. 15. Catanæ 1743.*

[q] *Legendus* MUSSCHENBR. *Elem. Phyſ. Parag.* 27. *&* GENUENS. *in Diſſert. phyſico-hiſtor. de rer. Corpor. orig.*

(r) *Legendus* A BRIXIA *Phyſ. geom. P. 1. Diſſert. 3. Sect. 1. 2. 3. & ipſe* GIUFFRIDA *in Tyrocinio Phyſico XVIII. p. 126.*

Adjunctio eſt quando aliena res materiæ noſtræ adjungitur, veluti per incluſionem, adferruminationem, intexturam, inædificationem, picturam. Ubi ſemper acceſſorium ſequitur ſuum Principale *L. 26. §. 1. D. de adquir. rer. domin. §. 26. Inſtit. de Rer. diviſ.*

Ex

quod eſt in metaphyſicis PRINCIPIUM debet eſſe omnimode primum, ut ita quod non eſt Primum nec ſit PRINCIPIUM, nego centies conſequentiam. *Quorſum iſtæc?* (*f*) *Nemo unquam aut non intellexit, aut verum eſſe negavit, Quodlibet vel eſt, vel non eſt*. Nego (*ex præc.bus*). *Et nemo ſane vel ab ipſis Leibnitianis, Wolfianis, Baumeiſterianis*. Concedo. *RATIONEM SUFFICIENTEM non aſſequuntur innumeri, & valere ad verum oſtendendum negant innumeri*. Mirum vero RATIONEM SUFFICIENTEM non aſſequi innumeros, ab innumeris negari, nec tamen unum a GIUFFRIDA numerari. Ceterum diſtinguo: RATIONEM SUFFICIENTEM non aſſequuntur innumeri, qui Rationem ſufficienter non habent, ut ſunt ante ſeptennium pueri, *tranſeat*; *tranſeat* dico, pueros enim me vidiſſe memini egregie Rationales, rationem omnium quærentes, & quærentibus dantes: RATIONEM SUFFICIENTEM non aſſequuntur innumeri ex Hircorum grege, & Taurorum, concedo; Homines, nego (I.ªH.§.XIV.). Verum tu, GIUFFRIDA, RATIONEM SUFFICIENTEM ſerio negas, an joco? Joci ætatem tuam dedecent. Si ſerio; rogo: Cum Rationene, an ſine Ratione negas? Acuto hinc illinc confoderis telo. At porro nullo modo negas. Nam quare BAUMEISTERUM impugnares (pro quo ego non pugno, ſed pro Veritate; Quid enim mihi cum BAUMEISTERO? At cum VERITATE multum per omnem modum §.XX.L.I.), quare ergo BAUMEISTERUM impugnares, & *Scrupulos* elucubrares tuos, & ederes, & ederes MELITÆ, fuit RATIO, mihi dicta, neſcio ſi vera, verumtamen SUFFICIENS, ſi te ad ſcribundum impulit, & Italiam peragrandum. *Cur* (Quid iſtuc *Cur*? nonne eſt Vocabulum RATIONEM SUFFICIENTEM efflagitantis?) *dicam patere naturaliter, & perceptis terminis?* Non dicas, quis te coëgit? Nemo WOLFIANORUM dixit; quamquam meo judicio dici poſſit. Quid eſt enim Ratione Rationali notius? Quid eſt *Nihil eſt ſine Ratione Sufficiente*, niſi *Omne Ens habet Rationem Sufficientem*, ſcilicet *Omne Ens eſt Intelligibile* (*Ex.ad* §.*XXI.*), ſeu *Conce-*

(*f*) GIUFFR. ibid. n. 3.

Ex eò ergo GENERALI PRINCIPIO (1. Gemma aliena, auro meo incluſa, mihi cedit. *L. 19. §. 13. ſequ. D. de Aur. arg. legat.* (2. Res per adferruminationem rei meæ adjuncta, tanquam pars integralis, mea fit. *L. 27. pr. D. de adquir. Rer. dom.* (3. Purpura, veſti no-

V ſtræ

ceptibile? (t). Quælibet res naturalis, inquit ANGELICUS, habet Subſtantiam, ideſt formam partis, & quod quid eſt, ideſt quidditatem, quæ eſt forma totius. Formam dicit (ARISTOTELES), in quantum eſt Principium ſubſiſtendi, & quod quid eſt, in quantum eſt PRINCIPIUM COGNOSCENDI, quia per eam ſcitur, quid eſt res (u). *Cur anteferam communiſſimo, & indubitato?* Ne anteferas. Quis anteferendum cenſuit? WOLFIUS? non certe, nec miſellus ille BAUMEISTERUS. Niſi quod AUCTOR ARTIS COGITANDI (x), & JOANNES LOCKIUS (y) nullius fere usûs eſſe luculente docuerint. *Cur* (*cur, cur, & cur* totum GIUFFRIDÆ Opuſculum reſonat. h. e. deleri contenditur Ratio Sufficiens perpetua Ratione) *copulem duo, quando unum, & princeps quidem eſt ſufficientiſſimum?* Hem, quid illud *Sufficientiſſimum?* Abrade, odioſum eſt. Atque in hoc falleris, vir eximie. PRINCIPIUM PRIMUM forte unum eſt (z). PRINCIPIA autem ſunt multa, & in omni Arte, Scientiâque propria (§.V.L.I.). Si negas, a Conſenſu Philoſophorum aberras, imo Hominum (a). Te autem ab Hominibus aberrantem inſequi non curabo (*Not.1.*).

(t) *BAUMEIST. Parag. 39. Ontol.*

(u) *Lect. 12. in IV. Metaphyſ. lit. c.*

[x] *P. IV. c. 7. pr.*

(y) *T. II L. IV. c. 7. Parag. 11. p. 191. ſ. ſ.*

(z) *CICERO ſomn. Scipion. VIII. ſ. PLATO apud HUET ad Axiom. IV. Dem. Evang. n. 2. pr. p. 25. ſ. Sed hi, ut puto, de Primo Rerum omnium Principio, nempe DEO, intelligendi.*

(a). (ARISTOTELES) exponit quæ ſunt DEMONSTRATIONIS PRINCIPIA. Et dicit, quod ſunt COMMUNES CONCEPTIONES OMNIUM, ex quibus procedunt omnes Demonſtrationes, in quantum ſcilicet ſingula PRINCIPIA propriarum Concluſionum demonſtratarum habent firmitatem virtute PRINCIPIORUM communium, & exemplificat de PRIMIS PRINCIPIIS maxime, ſicut quod Neceſſe eſt de unoquoque aut affirmare, aut negare. Et ALIUD PRINCIPIUM eſt, quod Impoſſibile eſt Idem ſimul eſſe & non eſſe. B. THOMAS *Lect. 5. in III. Metaphyſ. lit. a.* A Senſibilibus accipitur memoria, & a memoria Experimentum, & ab Experimento illorum terminorum cognitio, quibus cognitis cognoſcuntur hujuſmodi Propoſitiones communes, quæ ſunt ARTIUM, & DISCIPLINARUM PRINCIPIA. B. THOMAS *Lect. 6. in IV. Metaphyſ. lit. b.* Legeſis eundem in eundem Librum *Lect. 17.* PRINCIPIUM cognoſcendi dicitur Propoſitio, per quam intelli-

Digitized by Google

ſtræ intexta, acceſſionis vice, cedit veſtimento (§. 26. *Inſtit. h. tit. L.* 7. §. 1. *D. ad exhib.* (4. Quod ſolo inædificatur, ſolo cedit, ſive nos materia noſtra in alieno ſolo, ſive aliena materia in noſtro ſolo ædificemus. *L.* 7. §. 10. & 12. *D. de adquir. Rer. dom.* §. 19. *Inſt. h. tit.*

(5. Quod

telligitur Veritas Propoſitionis alterius. Omnes adeo Propoſitiones, quæ ingrediuntur Demonſtrationem alicujus Propoſitionis ſunt PRINCIPIA cognoſcendi. Unde & PRINCIPIA DEMONSTRANDI, atque communiter PRINCIPIA ſimpliciter appellantur. Quamobrem cum ſingulæ Propoſitiones anteriores ingrediantur Demonſtrationes poſteriorum, & Propoſitiones quælibet in una Diſciplina adhibeantur ad demonſtrandum Propoſitiones in altera, quæ illam præſupponit; Propoſitiones, quæ ſunt PRINCIPIATA reſpectu anteriorum, fiunt PRINCIPIA ſequentium, & Propoſitiones illius Diſciplinæ, quæ ab alia præſupponitur, fiunt PRINCIPIA ejus Diſciplinæ, quam illa præſupponit. Immo cum omnes Definitiones, ac Propoſitiones, in quacumque tandem Diſciplina locum habeant, non alio fine addiſcantur, quam ut ad caſus nobis obvios applicari poſſint; OMNES OMNINO DISCIPLINARUM DEFINITIONES SUNT PRINCIPIA RATIOCINANDI in Vita Communi. WOLFIUS §. 876. *Ont.* & *ej. Not.* Quædam ſunt enunciata, quæ ſub nomine Axiomatum, pro Scientiarum PRINCIPIIS habentur. LOCKIUS *de Intell. Hum. L.* IV. *C.* VII. §. I. *pr.* Ut porro ... quæſita ex datis inveniantur, PRINCIPIA quædam requiruntur quorum notitia, & applicatione fiat Demonſtratio. Quæ diſtincta, clara, certa eſſe debere ratio ipſa exigit. Talia autem in iis, quæ pure corporea in homine, ſunt Mechanica, & Experimenta phyſica, ſola. BOERHAAVE §. 25. *Inſtit. rei Medic.* NEWTON *Scholio ad Corollarium* VI. *Principior. Mathemat. T.* I. *p.* 45. *Genevæ* 1739. Definitiones, Axiomata, quæ ſunt potius Theoremata, & Corollaria appellat PRINCIPIA a Mathematicis recepta. HUET Definitiones VII., Poſtulata II., Axiomata IV. vocat PRINCIPIA, ex quibus Evangelica Demonſtratio educenda. FORTUNATUS A BRIXIA *Phyſic. Gener. T.* I. §. §. 298. 301. 305. 308. quatuor hæc Theoremata: » Dum vel incidens Corpus a duro Plano, in quod cadit, vel Planum ab incidente duro Corpore, vel ſimul utrumque ex mutua colliſione inſtu comprimitur; ille totus in Corpore incidente perit impetus,

(5. Quod Chartæ inſcriptum, Chartæ cedit. *L. 9. §. 1. D. eod §. 33. Inſtit. h. tit.* (6. Et pictura etiam poſtremo ex ſubtiliorum ſententia tabulæ cedebat. *L. 23. § 3. D. de rei vindic.* [*u]. HEINNECIUS ergo, vir ſummus, Adjunctionis DEFINITIONEM dicit GENERALE PRINCIPIUM, quod Propoſitionum ſex ſit fulcrum & origo. Eſt Societas contractus conſenſualis. Quum ergo Societas ſit contractus conſenſualis, ſequitur (1. ut ſolo conſenſu perficiatur... (2. Societatem eſſe vel Univerſalem, vel Generalem, vel Singularem... Ex eodem PRINCIPIO colligitur (3. ſubſiſtere etiam Societatem inæqualem, &c. HEINNECIUS ergo *Elem. Jur.* §.§. 492. 943. 944. 945. AXIOMA dicit PRINCIPIUM, quod ſit propoſitionum fulcrum, & origo aliarum. §. 280. Quum ergo Tutores æque, ac Curatores res alienas adminiſtrent (§.263.), Et ideo ad ratio-

[*u] *HEINNEC. Elem. Jur. Parag. 362. 363.*

V 2

petus, cujus cauſa ſecundum eam directionem movetur, ſecundum quam compreſſio efficitur. Neque Corporis incidentis, neque Plani, cui alliditur, ulla in ictu fit compreſſio, niſi quatenus incidens Corpus movetur ſecundum directionem Plano perpendicularem. Reſtitutio partium in ictu compreſſarum tam alliſi Corporis, quam Plano, in quod cadit, ſecundum rectam ipſi Plano perpendicularem efficitur. Corpus perfecte elaſticum, in ictu compreſſum, tanta vi, quanta compreſſum in ictu fuerat, poſt ictum ſeſe reſtituit. » PRINCIPIA vocat FUNDAMENTALIA. Marci Antonii Mureti illa duo,

Talem te præſta, qualem te poſcis haberi,
Mentiri noli, nunquam mendacia proſunt,

PRIMA ſanctæ Honeſtatis PRINCIPIA appellat JUSTUS FONTANINUS, Archiepiſcopus Ancyranus, *Eloquentiæ Italicæ L. II. C. XXV. ſ. f. p. 168. Ven. 1737. Tutti confeſſano eſſer giovevole l'avere a memoria MOLTI Aſſiomi, e PRINCIPJ, che, eſſendo certi ed evidenti, poſſon ſervire di fondamento per conoſcer le coſe più occulte. ARTE DEL PENSARE P. IV. C. VII. pr. p. 344. ſ. Ogni Scienza, ogni Arte eſſendo retta da i ſuoi particolari PRINCIPJ, &c. LAMINDO PRITANIO Buon Guſto P. I. C. I. pr. p. 108. Napoli 1755.* Legeſis eundem *Perfetta Poeſia T. I. L. I. C. VI. ſub medium, &c.*

tiones reddendas obſtricti ſint (§.263.276.); æquiſſimum eſt, ut utrique ſatiſdent, rem pupillo, vel adoleſcenti ſalvam fore, ſi vel ulla in eos cadat ſuſpicio. §. 281. Quumque ii tantum ſatisdent, in quos ſuſpicio cadit (§.280.); conſequens eſt, ut a ſatisdatione immunes ſint (1. Tutores Teſtamento dati, quia paterno Judicio electi idonei creduntur *L.* 7. §. 5. *C. de Curat. furioſ.* (2. A Majoribus Magiſtratibus ex inquiſitione dati, quia inquiſitio pro paterno judicio eſt, & pro vinculo cedit cautionis. *L.*13.§. *ult. D. de tut. dat. L.* 3. *L.* 4. *C. de Tut. qui ſatis non ded. pr. Inſtit. h. tit.* §. 282. Contra ex hoc PRINCIPIO merito ſatiſdant (3. Legitimi omnes, præter Patronos, Patronorumque liberos. *L.* 1. §. 1. *D. de legit. tut.* (4. Dati ſine inquiſitione a Magiſtratibus Minoribus, *&c.* HEINNECIUS ergo *Elem. Jur.* §. §. *Cit.* THEOREMA dicit PRINCIPIUM, quod ſit Propoſitionum fulcrum, & origo aliarum. Quia Pater Familias poteſt legare ſuper tutela ſuæ rei, explorati juris eſt Axioma: Pater Liberis in poteſtate ſua conſtitutis, & in alterius poteſtatem non recaſuris, Tutores Teſtamento, vel Codicillis Teſtamento confirmatis, dare poteſt. (COROLLARIUM) Fundamentum ergo hujus tutelæ eſt patria poteſtas. Ex quo PRINCIPIO ſequitur, ut Pater ſolus, vel Avus, qui liberos in poteſtate habet, tutores dare poſſit, *&c.* COROLLARIUM ergo HEINNECIUS *Elem. Jur.* §. §. 210. 213.(*x) dicit PRINCIPIUM, quod ſit Propoſitionum fulcrum & origo. DEFINITIO: Probatio eſt idoneis argumentis, & legitimis mediis acta demonſtratio. SCHOLION. Contingit autem quid probari variis modis, utputa confeſſione partium, depoſitione teſtium, Inſtrumentorum exhibitione, juris jurandi religione, inſpectione Judicis, notorietate Rei, ſuſpicione vehementi, fama, atque aliis adminiculis. LANCELLOTTUS III. 14. DEFINITIO: Conventio, vel Pactio eſt duorum in idem placitum conſenſus de re ſolvenda, ideſt facienda, vel præſtanda *L.* 1. §. 2. *D. de Pact.* SCHOLION. Sed non omnibus conventionibus ad-

(*x) *Et Parag. etiam* 381. 382.

ſiſtit

ſiſtit Jus Civile, verum quibuſdam tantum; & iis maxime, quibus vel cauſſa Civilis, & legibus probata ſubeſt, vel quibus ſingulare nomen, & cognominem actionem jura dederunt. Et hæ conventiones *Contractus*, reliquæ *Pacta* vocantur. HEINNECIUS *Elem. Jur.* §.§. 773. 774. (*y). DEFINITIO. Attenuantia ſunt illa, quæ vim habent ſingulas Liquidi moleculas in minutiores reducendi; eadem vero dicuntur *Reſolventia*, quatenus Liquidorum moleculas præternaturaliter coaleſcentes *reſolvendo*, in naturalem reducuntur ſtatum: utraque igitur dividendo ſemper agunt. SCHOLION. Diviſio autem dupliciter tantum fieri poteſt, nempe 1. quando Corpus dividens ſeſe in dividendi poros inſinuat, ejuſque partes ab invicem ſecernit; 2. externo attritu diverſorum Corporum. Prius non fit, niſi a Fluidis, aut ab iis, quæ Fluidorum indolem habent in omnibus iis, quæ motum in Liquidis noſtris excitare poſſunt. BOERHAAVE *de Virib. Medicament. P. II. C. I. 1. p.* 143. (*z). THEOREMA: Si Triangulum ſit in iiſdem parallellis cum Parallellogrammo, & baſin eandem habeat, vel æqualem, ipſius dimidium erit. SCHOLIUM: Ex hoc Theoremate diſcimus, aream Trianguli cujuſcumque produci ex dimidia altitudine ducta in baſim, vel ex dimidia baſi in altitudinem. Quare noto uno latere Trianguli, & altitudine, ſive perpendiculari, quæ in latus notum ex angulo oppoſito ducitur, habetur Trianguli dimenſio: ut ſi baſis ſit pedum 100., altitudo 85.; multiplica baſis dimidium 50. per 85., proveniunt 4220. pedes quadrati pro area Trianguli. TACQUET *Propoſ.* 41. *L. I. & ej. Scholio*. AXIOMA: Nulla ſervitus in faciendo, ſed vel in patiendo, vel in non faciendo conſiſtit. NOTA: Quæ in patiendo conſiſtunt, Adfirmativæ; quæ in non faciendo, Negativæ. Illæ quaſi traduntur; hæ nec tradi, nec quaſi tradi poſſunt. HEINNECIUS *Elem. Jur.* §. 395. *Ax.* 2. *& ej. Not. lit. b.*

(*y) *Sunt & in eodem Scholia Parag.* 360. 442. *ad* 446. 448. 579. 580. 766. 819. 840. 851. *&c.*

(*z) *Sunt etiam Scholia Parag.* 1030. *de San. tuend. Parag.* 108. 109. *Oeconom. Anim. Eſt* NOTA *Parag.* 1121. *de Cognoſc. & Curand. Morb. Reliqua, vel Deſcriptiones hiſtorico-anatomica, ut Parag.* 396. *Oeconom. Anim. & ſeqq., & Parag.* 194. *ad* 200; *unde Ratio ſufficiens eorum, quæ ponit Parag.* 200. *num.* 1. *& ſeqq.: vel Experimenta, Experientiæ, & Obſervationes Rationales, ut Parag.* 401. *Oeconom. Anim. num.* 2. 3. *&c. In eo autem differt ab Experimento Experientia, quod hæc ultro ſeſe*

ſe offerat, illud, ſicut & Obſervatio Rationalis, inquiratur.

§. XXVI.

Definitionum, Axiomatum, Poſtulatorum, Theorematum, Problematum, Corollariorum nexus, Scholiis, Notiſve adornatus, Diviſione undique arceſſita, Methodo tandem ſcientifica procedens (§.XVII. *ad* XXV., & §. XI.L.I.), eſt SYSTEMA SCIENTIFICUM [*Ex term.*], ut illud EUCLIDIS, WOLFII, HEINNECII, BOERHAAVE, Noſtrum. 80.

§. XXVII.

Propoſitio *A*, vel *E* (§.XIV.), *a priori*, vel *a poſteriori*, *metaphyſica*, vel plerumque moralis (*Ex. ad* §.XII. τ.υ.φ.χ.), *Definita*, vel *Indefinita* (§.XIII. ε.ζ.), Theoretica (§.§ VIII. κ. XI. ε.), Practicarumque ſufficiens ratio (§.IX.), eſt SENTENTIA, PROVERBIUMve. At illa hoc gravior. Nititur enim SENTENTIIS Moralis cum Rethorica: PROVERBIIS Vulgus rude. SENTEN-

TEN-

80. At EUCLIDIS SYSTEMA in Angulos poſtremo reſolvitur, Lineas, Punctum. Illud HEINNECII in Pandectas, Inſtitutiones, *&c.* (§.V.L.I.): BOERHAAVE in Experimenta: Noſtrum in Experientias (§.*cit.* I. *&* II. §. IX. & *Ex. ad* §. *XXV.* *z.*). LANCELLOTTI Opus in Decretum Gratiani, quod eſt Jus antiquum, Summorumque Pontificum Decretales, quæ Jus novum. PETAVII, BERTI, BELLARMINI, ceterorumque Theologorum Opera in Verbum DEI (§.V.L.I.): Ejus Cuſtos, Interpres, & Index, Sacroſancta, cujus membra ſumus, ECCLESIA: Hujus Caput Viſibile SUMMUS PONTIFEX, Inviſibile CHRISTUS, cujus Gloriam, noſtrorum laborum Coronam, expectamus.

Digitized by Google

TENTIÆ autem, vel PROVERBIA individuis applicata rebus (I.ᵃ IIⁱ § XI.), vocantur DICTA SENTENTIOSA, vel PROVERBIALIA.

SENTENTIÆ DIVINÆ.

Amicus fidelis Protectio fortis. ECCLESIASTICI VI. 14.
Vinum, & Mulieres apoſtatare faciunt Sapientes. ECCLI XIX. 2.
Non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum. MATTH. X. 24.
Inimici Hominis domeſtici ejus. MATTH. X. 36.
Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. MATTH. XV. 14.
Quid prodeſt Homini, ſi Mundum univerſum lucretur, Animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit Homo commutationem pro Anima ſua? MATTH. XV. 26.
Bonum tibi (*a) eſt ad Vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in Ignem æternum ... Bonum tibi eſt cum uno Oculo in Vitam intrare, quam duos Oculos habentem mitti in gehennam Ignis. MATTH. XVIII. 8. 9.
Horrendum eſt incidere in Manus DEI Viventis. AD HEBR. X. 21.
Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. JACOB. I. 8.
Omne datum optimum, & Omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. JACOB. I. 17.
In multis offendimus omnes. JACOB. III. 2.
Lingua Ignis eſt, univerſitas iniquitatis. JACOB. III. 6.

SENTENTIÆ HUMANÆ.

Omne ſub Regno graviore Regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo tam divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.
Res DEUS noſtras celeri citatas
Turbine verſat. THYEST 613. *& ſeqq.*
Nulla Sors longa eſt. THYEST. 597.

[*a] *Et mihi, & illi, & Omnibus. Univerſalis eſt ergo Propoſitio, ut ex Extremorum natura colligitur.*

Qui

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recuſat ferre quod ſubiit jugum. HYPPOL. 133.
Nullum caruit exemplo nefas. HYPPOL. 552.
Nunquam placida Sceptra quietem,
Certumve ſui tenuere diem. AGAMEN. 60. 61.
Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter. AGAMEN. 115.
Neſcia Mens Hominum fati, ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis. ÆNEID. X. 501 502.
Obſequium Amicos, Veritas odium parit. ANDR. I. I.
Facile omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis damus. ANDR. II. I.
Pudore, & liberalitate Liberos
Retinere ſatius eſſe credo, quam metu. ADELPH. I. I.
...... Re ipſa reperi
Facilitate nihil homini eſſe melius, neque clementia. ADELPH. V. III.
Omnes, quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo
Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis
Propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt negligi. ADELPH. IV. III.
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius. EUNUCH. *prolog.*
Omnium rerum heus viciſſitudo eſt. EUNUCH. II. II.
Conſilio omnia prius experiri, quam armis Sapientem decet. EUNUCH. IV. VII.
Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita magni, atque humiles ſumus. HECYR. III. III.
Non recte accipitri tenditur, neque milvio,
Qui malefaciunt nobis; illis, qui nihil faciunt, tenditur,
Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur. PHORMION. I. IV.

Sem-

Semper, tu ſcito, flamma fumo eſt proxuma.
Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt. CURCUL. IV. I. 21.
.... Nemini auferri poſſe
Quod dederit DEUS. QUEROLUS, *Lar familiar*.
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis. HORATIUS *Odar.* II. VII.
..... Nil ſine magno
Vita labore dedit Mortalibus. HORATIUS *Satyr.* I. IX.
...... Omnis res
Virtus, Fama, Decus, Divina, Humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam & rex,
Et quidquid volet, hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. HORATIUS *Satyrar.* II. III. *ſ. m.*
Amittit merito proprium qui alienum adpetit. PHÆDRUS I. IV.
Nunquam eſt fidelis cum potente ſocietas. PHÆDRUS I. V.
Qui pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat, primum quoniam indignos adjuvat,
Impune deinde abire quia jam non poteſt. I. VIII.
Sibi non cavere, & aliis conſilium dare
Stultum eſſe. I. IX.
Quicumque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem. I. X.
Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui. I. XI.
Virtuti ſemper prævalet Sapientia. I. XIII.
Qui ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit. I. XXXI.
.. Tuta eſt Hominum tenuitas
Magno periclo ſunt opes obnoxiæ. II. VII.
Periculoſum eſt credere, & non credere. III. X.
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria. III. XVII.

Digitized by Google

Utilius Homini nihil eſt, quam recte loqui. IV. XII.
Homo doctus in ſe ſemper divitias habet. IV. XXI.
Et, ut putentur ſapere, Cœlum vituperant. IV. V.

Dicta Sententiosa.

Progenies Viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? MATTH. XII. 32.
Heu me miſerum, qui tuum animum ex animo ſpectavi meo! ANDR. IV. I.
. . Quem ferret, ſi Parentem non ferret ſuum? HEAUTONTIMORUMEN. I. IV.
. . O noſter Demea
Ad omnia alia ætate ſapimus rectius. ADELPH. V. I.
Sola me virtus dabit uſque tutum,
Sola beatum. ODARUM I. XIX. f.
Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum. ODAR. II. VII.
. . . . . Merito jaces
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore. PHÆDR. I. XXVII.
O ſuavis Anima, quale in te dicam bonum
Antehac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ? III. I.

Proverbia Divina.

Principium Sapientiæ Timor Domini. IX. 10.
Memoria Juſti cum laudibus,
Nomen Impiorum putreſcet. X. 1.
Ubi non eſt Gubernator, Populus corruet;
Salus autem, ubi multa Conſilia. XI. 14.
Alii dividunt propria, & ditiores fiunt;
Alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. XI. 24.
Vult, & non vult piger. XIII. 4.
Qui parcit virgæ, odit filium ſuum. XIII. 24.
Putredo Oſſium Invidia. XIV. 30.

Re-

Reſponſio mollis frangit iram,
Sermo durus ſuſcitat furorem. XV. 1.
Juſtitiâ firmatur ſolium. XVI. 12.
Homo perverſus ſuſcitat lites. XVI. 28.
Omni tempore diligit qui Amicus eſt. XVII. 17.
Qui feſtinus eſt pedibus offendet. XIX. 2.
Teſtis falſus non erit impunitus. XIX. 5.
Luxurioſa res Vinum. XX. 1.
Honor eſt homini, qui ſeparat ſe a contentionibus. XX. 3.
Virum fidelem quis inveniet? XX. 6.
Statera doloſa non eſt bona. XX. 23.
Diſſipat impios Rex ſapiens. XX. 26.
Qui diligit epulas in egeſtate erit. XXI. 17.
Hoſtiæ Impiorum abominabiles. XXI. 27.
Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ XXII. 1.
Fovea profunda eſt Meretrix. XXIII. 27.
Flagellum Equo, & Camus Aſino, & Virga in dorſo Imprudentium. XXVI. 3.
Suſurrone ſubtracto jurgia conticeſcent. XXVI. 20.
Qui fodit foveam incidet in eam. XXVI. 27.
Meliora ſunt Vulnera diligentis, quam fraudulenta Oſcula odientis. XXVII. 6.
Melior eſt Vicinus juxta, quam Frater procul. XXVII. 6.
Ferrum ferro exacuitur. XXVII. 17.
Oculi hominum inſatiabiles. XXVII. 20.
Fugit Impius nemine perſequente,
Juſtus autem quaſi Leo confidens abſque terrore erit. XXVIII. 1.
Qui derelinquunt Legem laudant Impium,
Qui cuſtodiunt ſuccenduntur contra eum. XXVIII. 4.
Qui confidit in Corde ſuo ſtultus eſt. XXVIII. 26.
Rex juſtus erigit terram. XXIX. 4.
Homines peſtilentes diſſipant Civitatem. XXIX. 8.
Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes Miniſtros habet impios. XXIX. 12.
Servus verbis non poteſt erudiri. XXIX. 19.
Superbum ſequitur humilitas. XXIX. 23.

Qui

Qui ſperat in Domino ſublevabitur. XXIX. 25.
Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, Affer. XXX. 15.
Qui vehementer emungit, elicit Sanguinem. XXX. 33.
Sed de his nunquam eſſet exſcribendi, ſcribendique finis.

PROVERBIA HUMANA

Verum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet,
Omnes ſibi melius eſſe malle, quam alteri. ANDR. II. V.ª

... Vetus verbum hoc quidem eſt,
Communia eſſe Amicorum inter ſe Omnia. ADELPH. V.º III.ª

... Verum ita eſt,
Quot homines, tot ſententiæ, ſuus cuique mos. PHORMION. II.º III.ª

Verum.. illud eſt, quod vulgo dicitur; multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut Amicitiæ munus expletum ſit. CICERO *in Lælio* XIX. PROVERBIA autem SICULORUM peracuta.

DICTA PROVERBIALIA.

Contigit illis (qui derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor) illud veri PROVERBII: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. II.ª PETRI II. 22. 25.

.. Viſa vero eſt, quod dici ſolet,
Aquilæ ſenectus. HEAUTONTIMORUMEN. III.º II.ª
Davus ſum, non Œdipus. ANDR. I.º II.ª
Ego in portu navigo. ANDR. III.º I.ª
Sceleſta Ovem Lupo commiſiſti. EUNUCH. V.º I.ª
Verba fiunt mortuo. PHORMION. V.º IX.ª
In eodem luto hæſitas. PHORMION. V.º II.ª
Suo ſibi hunc gladio jugulo. ADELPH. V.º VI.ª
Sine juxta aram ſedeam, & dabo meliora Conſilia. MOSTELLAR. *fragm.* 262.

Hoc illud eſt,
Quod arietini reſponſum magnis ludis dicitur,
Peribo, ſi non fecero, ſi faxo, vapulavero.
DYSCOL. *fragm.* 80.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Propoſitio *A*, vel *E*, practica (§.§.XIV. VIII.[2]. XI.[7].), cujus Prædicatum omnino conjungendum, aut disjungendum exponitur, Præceptum, vel Mandatum (*f*): Si non omnino, ſed potius, Consilium. Præceptorum autem, vel Præceptorum ſimul, & Conſiliorum multitudo, Lex, vel Regula. Si Præcepti ratio (§.*IX.*) eſt per notionem Extremorum (§.*II.*) ſtatim, aut facile manifeſta, Præceptum Naturale; & hinc Lex Naturalis. Si Præcepti ratio patet tantum proponenti, Præceptum Positivum; & hinc Lex Positiva. Hæc inde Divina, vel Humana. Quidquid denique oritur in agente homine, vel acturo ex Lege, vel Præcepto, Jus eſt; vel Naturale ergo, vel Positivum, & hoc Divinum, vel Humanum. Sed Jus, Lex, Præceptum confunduntur.

(*f*) *At haud raro Præceptum eſt etiam Propoſitio Singularis, præſertim in communi ſermone.*

Oportet ſemper orare, & non deficere. LUCÆ XVIII. 1. *Legeſis* HABERT. *Tom.VIII. de Religione Q.* 4. *p.* 277. Si vis ad Vitam ingredi (reſpondit interroganti CHRISTUS, ac uni quidem pro omnibus Æternæ Vitæ cupidis) ſerva Mandata... Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum teſtimoninm dices. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, & diliges Proximum tuum, ſicut teipſum... Si vis Perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da Pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo. MATTH. XIX. 17. *ad* 22. Si Præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea... Hoc eſt Præceptum meum, ut diligatis invicem.

 JOANN.

JOANN. XV. 20. 12. Quod eſt MANDATUM magnum in LEGE ? . . . Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota Anima tua, & in tota Mente tua. Hoc eſt maximum, & primum MANDATUM. Secundum autem ſimile eſt huic, diliges Proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus MANDATIS univerſa LEX pendet. MATTH. XXII. 36. *ad* 40. *U*ſquequo non vultis cuſtodire MANDATA mea, & LEGEM meam? EXOD. XXI. 28. Oſtendam PRÆCEPTA DEI, & LEGES ejus. EXOD. XVIII. 16. De Virginibus PRÆCEPTUM Domini non habeo, CONSILIUM autem do . . . Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum CONSILIUM. I.ª AD CORINTH. VII.ª 25. 40. Noluit Jacob confiteri ſocero ſuo, quod fugeret. Cumque abiiſſet tam ipſe, quam omnia, quæ JURIS ſui erant, *&c.* GENES. XXXI. 20. 21. Primitias autem, quas voverint, & obtulerint filii Iſrael, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis JURE perpetuo. NUMEROR. XVIII. 11. Si vis poſſidere JURE propinquitatis, eme, & poſſide. RUTH IV. 4. Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris ſui JURE prælii. IV. REG. XIII. 25.

§. XXIX.

2. INDIVIDUALIS (§. *VI.*), vel SINGULARIS, cujus Subjectum (§. *II.*) eſt Individuum (I.ª II.ª §. *XI.*).

Formoſum Paſtor CORYDON ardebat Alexin (§. VIII. *.) ECL. II. 1.
Non tulit hanc ſpeciem furiata mente CHOROEBUS (§. XI. *.). ÆNEID. II. 407.

*. Hæc Subjecta Grammatici vocant *Nomina propria*. *. Quum autem pro *Nominibus propriis* ſtent Pronomina EGO, TU, HIC, ILLE, *&c.*

&c., ac Adjectiva Meus, Tuus, Suus, *&c.*; Pronomina, & Adjectiva Singularitatem conſtituunt ζ. vel Subjecti, totiuſque ergo Propoſitionis, ε. vel Prædicati tantum, utramque non confundendam. θ. At Adverbia Hic, Illic, Loci; ι. Nunc, Tunc, Temporis; κ. Hinc, Illinc, Originis, *&c.*

Hic (θ.) gelidi fontes, Hic mollia Prata, Lycori (δ.)
Hic Nemus, Hic ipſo Tecum [ι.] conſumerer [ζ.]
æVO ECL. X. 42. 43.
Tu [ι.ζ.] procul a Patria [nec ſit mihi credere tantum]
Alpinas, ah dura, nives & frigora Rheni
Me [ι.] ſine ſola vides. ECL. X. 46. 47. 48.
Illa (ι.ζ.) ſolo fixos oculos averſa tenebat. ÆNEID. VI 464.
Tunc (ι.) decuit metuiſſe tuis, Nunc ſera querelis
Haud juſtis aſſurgis, & irrita jurgia jactas (*b). ÆNEID. X. 94. 95.

(*b) *Subobſcura. Clareſcit autem per Contextum.*

Sic doluit Priamus (δ.) Tunc, Cum (ι.) in contraria verſus
Ultores habuit proditionis equos (*c). I. TRIST. III. 38.

(*c) *Clara elapſi temporis Singularitas.*

Hæ (κ.) Nobis (ι.ζ.) propriæ ſedes, Hinc (κ.) Dardanus ortus,
Jaſiuſque pater. Genus a quo Principe Noſtrum.
Surge (§. XXVIII. *f.*), age, & Hæc (κ.) longævo dicta parenti
Haud dubitanda Refer (§. *Cit.*) ÆNEID. III. 167.
Huc (θ.) pater o Lenææ (δ.) Veni (§. *Cit.*): (Tuis (κ.) Hic (θ.) Omnia (*d) plena
Muneribus: Tibi (κ.) pampineo gravidus Autumno
Floret Ager, ſpumat plenis Vindemia labris).
Huc, pater o Lenææ, Veni, nudataque muſto
Tinge novo Mecum (ι.) direptis crura cothurnis. GEORGIC. II. 4.

(*d) *Propoſitio A (Parag. XIV.) ſed Loci, & Prædicati Singularitate contracta.*

Hinc [χ.] movet Euphrates; Illinc Germania bellum
GEORGIC. I. 509.
An Mihi cantando victus non redderet Ille,
Quem mea Carminibus meruiſſet fiſtula Caprum?
Si neſcis, meus Ille Caper fuit, & Mihi Damon
Ipse fatebatur, ſed reddere poſſe negabat. ECL. III.20.
Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora. ECL. III.. 5.
Non Nostrum inter Vos tantas componere lites. ECL.
III. 108.

λ. Quod ſi Subjectum ſit Genus, Species, vel Generica, aut Specifica Differentia (I.ª II.ⁱ §.*XIX.& ſeqq.*), at Singularitatis affecta Pronomine (ι.); Singularis.

Quid facimus (obſtupefacti, ſed obſtupidi Pontifices, & Pharisæi coacto Concilio dicebant), quia Hic Homo (ſcilicet Christus) multa ſigna facit? JOANN. XI. 47.
Mi Homo, ſanusne es? ANDR. IV.ª V.ª

μ. Quod ſi Subjectum ſit Genus, Species, vel Differentia (I.ª II.ⁱ §.*XIX.& ſeqq.*); Prædicatum vero ſit Determinatio Individui; Individualis eſt Propoſitio. Prædicatum autem eſſe Determinationem Individui, Experientiâ, Ratione, vel Auctoritate patebit (I.ª *II.* §§.*VIII.XI.XVI.XII.*).

Homo eſt DEUS, ſcilicet ob *Communicationem Idiomatum* CHRISTUS (δ).

ν. Tandem ſi Singularitas lateat, vel aliquo, vel nullo præfixo Singularitatis indicio (ε. *ad* ι.), erit Obscura Propoſitio. Semper autem clareſcet contextu ſermonis, aut ſcopo dicentis (II.ª II.ⁱ §.§. XXIX.XXXIII.).

Ho-

Homo, neſcio quid dicis? LUC. XXII. 60. Per Synecdochen videlicet Species pro Individuo ponitur, h. e. Individuum ex Eſſentialibus nominatur, ac aliquando in laudem, ſæpe contemptim.

Oh quanta Species Cerebrum non habet! PHÆDR. I.ᵒ VII.ᵃ Nempe, oh quantæ Speciei Individuum! ſive Speciem grammatico ſenſu, ſive logico accipias. Verum hæc Divina,

Oh Homo, Tu quis es, qui reſpondeas DEO? *A* eſt (§.XIV.). Omnem enim moroſum, ſuperbumque Hominem urget PAULLUS Romanor. IX. 20. Dicta demum Proverbialia, & Sententioſa Individuales eſſe Propoſitiones, me non monente, intelligitur (*Ex. ad* §. XXVII.).

§. XXX.

Individualem Affirmativam (*Ex. ad* §.*XXIX.* *r.*) indicabimus per *i*; Negativam (*Ex. ad* §. *cit.*) per *o*.

§. XXXI.

Propoſitio, nec Univerſalis, nec Individualis (§.§.XII.XXIX.), eſt Particularis. Cujus nempe Subjectum ſit Genus, Species, Generica, vel Specifica Differentia (I.ᵃ II.ⁱ §. XIX.*&ſeqq.*), Prædicatum vero non ſit mera explicatio Subjecti, ſed Determinatio plerumque, vel quorumdam Inferiorum. Prædicatum porro non eſſe meram explicationem Subjecti, per hujus originem intelligitur (I.ᵃ II.ⁱ §. XIX.*&ſeqq.&* I.ᵃ *H.Ex.ad* §.*X.*). Eſſe autem Determinationem plerumque, vel quorumdam

In-

Inferiorum, per Experientiam, Rationem, vel Auctoritatem (I.ª *H*.§.§.VIII.XI.XVI.XVII.).

Homo, quum in honore eſſet, non intellexit. PSAL. XLVIII. 13. Siculi (*Not*.29.) Genus hominum nimis acutum, & ſuſpicioſum. CICERO *Divinat. in Verr. ſ.a m.*ª Dux malorum Fœmina, & ſcelerum artifex. SENECA *in Hyppolit.* 557. Quarum illa Negativa eſt (§.X.), hæ Affirmativæ (§.VII.).

§. XXXII.

Particularem Affirmativam Veteres indicabant per *I*, Negativam per *O* (*Ex.ad* § *XXXI.*)

§. XXXIII.

Propoſitionum Particularium (§.XXXI.) Signa ſunt Vix Aliqui, Pauci, & ſynonymi, queis *I* (§.XXXII.) magis accedit ad *i* (§ *XXX.*), ideoque Sub-Particularis Affirmativa dicitur (*Not*. 15. *a*.): Plerique cum ſynonymis, queis *I* (§.XXXII.) magis accedit ad *A* (§.XIV.), ideoque Sub Universalis Affirmativa: Pauci Non &c., queis *O* (§. XXXII.) magis accedit ad *o* (§.XXX.), & ideo Sub-Particularis Negativa: Fere Nullus cum ſynonymis, queis *O* (§.XXXII.) magis accedit ad *E* (§.§.XIV.& XIII.), & ideo Sub Universalis Negativa. Quod ſi *I* inter *i*, & *A*; *O* inter *o*, & *E* (§.§.XXXII. XXX. XIV.XIII.) æque intercedit, Particularis ſimpli-

plicites nominatur (§.XXXI.), ſuntque ejus indicia Quidam, Aliquis, *&c.*

§. XXXIV.

I magis accedentem ad i (§.XXXIII.) indicare liceat per *I-i*; magis accedentem ad *A* (§.*cit.*) per *I-A*; æque inter *i*, & *A* intercedentem (§ *cit.*) per *I*: *O* ſimiliter magis accedentem ad *o* (§ *cit.*) per *O-o*; magis accedentem ad *E* (§.*cit.*) per *O-E*; inter *E*, & *o* æque intercedentem (§.*cit.*) per *O*.

§. XXXV.

Aliquando cum ſynonymis ſignificat *I*; Sæpe *I-A*; Raro *O-E* Temporis (§.XXXIV.)

§. XXXVI.

Univerſales ergo *morales* (*Ex.ad* §.*XII. x.*) Sunt *I-A*, & *O-E* (§.§.XXXIV.XXXV.), & viciſſim.

Plures (*I-A*) fulgor convocat Aulæ (*e*).
Sæpe (*I-A*) in magiſtrum ſcelera redierunt ſua (*f*).
Plerumque (*I-A*) ſtulti riſum dum captant levem,
Gravi deſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nocivum concitant periculum (*g*).
Pauci (*O-o*) Reges non Regna colunt (*h*).
Rara (*O-E*) fides, ubi jam melior
Fortuna ruit (*i*).
Vulgare (*I-A*) Amici nomen, ſed Rara (*O-E*) eſt fides (*k*).
Quem Sæpe (*I-A*) tranſit caſus, Aliquando (*I.*) invenit (*l*).

Et

(*e*) *HERCUL. OET. 616.*
(*f*) *THYEST. 311.*
(*g*) *PHÆDR. I. 29.*
[*h*] *HERCUL. OET. 616.*
[*i*] *HERCUL. OET. 603. Idem eſt, ac Raro, h.e. fere nunquam [Parag. XXXV.].*
[*k*] *PHÆDR. III. 9. Nimirum fere Omnes nominantur Amici, at fere Nulli veri Amici. Licet ergo Propoſitio affirmare videatur, Negans eſt.*
[*l*] *HERCUL. FURENT. 328.*

Et hæ Particulares *Definitæ*; illæ (*Ex. ad* §.*XXXI.*) *Indefinitæ* (§.*XIII.* ι.ζ.) dicuntur. 81.

§.XXXVII.

81. AUCTOR ARTIS COGITANDI *P. II. C. XIII. n. VIII. hanc Indefinitam*, *Romani vicerunt Pœnos*, neque Particularem vocat, nam illa hac latior, *Quidam Romani vicerunt Pœnos*: nec Univerſalem, alias quilibet Romanus viciſſe Pœnos dici poſſet: ſed Singularem. Omnis enim Populus habendus tamquam Perſona moralis, vivens plurima ſecula, manens manente Imperio, & agens toto illo temporum fluxu per eos, quibus componitur, non ſecus, ac homo per corporis membra. Hinc dicitur: Romani, qui victi fuerunt a Gallis captâ Româ, poſtea vicerunt Gallos ſub Cæſare. Tribuimus adeo eidem termino *Romani* Victi, & Victores temporibus ita diſſitis, ut nullus eorum, qui victus fuit, victor eſſe potuerit. Quam ergo ridicula eorum jactantia, qui ſibi ſuorum geſta Majorum, quorum nulla pars fuerunt, aſcribunt? Hactenus ille. At vero ſi quilibet Populus, Ex. cauſſâ Romanus, eſt huic AUCTORI Individuum Morale, coëxiſtens aliis plurima ſecula, agens Civibus, uti Membris homo; qui ſunt ergo Cives poſteriorum temporum coëxiſtunt moraliter prioribus, ſuntque Totius Membra; cur igitur illorum ſibi laudes non aſcribent? Ceterum quemadmodum ejuſdem Uteri partus Fratres ſunt Naturales, ita ejuſdem Urbis, Provinciæ, vel Regni Fratres ſunt Civiles. ,, FRATRIBUS, qui ſunt per Ægyptum, Judæis ſalutem dicunt FRATRES, qui ſunt in Jeroſolymis, Judæi, & qui in regione Judææ ,, II. MACHAB. I. 1. Quemadmodum ergo Fratris Naturalis decus, vel infamia, reliquorum Fratrum, univerſæque æternùm familiæ decus eſt, vel infamia: ita & Civilium (*b*). Nam aliter non intelligerem, cur ob unius HELENÆ raptum tota quondam Græcia commota fuerit: cur ob Levitæ uxorem, a Gabaonitis quibuſdam e Tribu Benjamin prodigioſa libidine extinctam (*c*), Omnes filii Iſrael, & pariter congregati quaſi vir unus de Dan uſque Berſabeæ, & terra Galaad, omneſque anguli Populorum, & cunctæ Tribus Iſraël (*d*) interfecerint vigintiquinque millia pugnatores de Benjamin, & Omnes reliquias Civitatis a viris uſque ad jumenta gladio percuſſerint, Cunctaſque Urbes, & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſerit (*e*). Propoſitio itaque (hinc enim digreſſi ſumus), *Romani vicerunt*

(*b*) CIC. I. *Offic.* 16.

(*c*) JUDIC. XIX. 25. 26.

[*d*] JUDIC. XX. 2.

[*e*] JUDIC. XX. 46. 48.

Pœ-

§. XXXVII.

Si *A*, & *E* (§.§. XIV. XIII.), *i*, & *o* (§.XXX.), *I*, & *O* (§.XXXII.) eadem habeant Extrema (§. II.), affirmatur idem, & negatur (*Ex term.*): ∴ quod eſt Oppositio. ∴ Inter *A* quidem, & *E* Contraria; Inter *I*, & *O* Sub-Contraria; Inter *i*, & *o*, *A*, & *O*, *E*, & *I* Contradictoria. ∴ Et univerſim ſimultanea ejuſdem entis affirmatio, & negatio Contradictio eſt (*Hom. Philoſophorumque Conſ.*).

E. Interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ Nunquam (§. XIII. *r.*) reſiſtitur. Propoſitio, quam proſcripſit ECCLESIA. *A.* Interiori Gratiæ in ſtatu

Z Na-

Pœnos, *vel Gallos* (quod hic Gallus noluiſſet) Univerſalis eſt, ac ita, ut Victoria Omnibus, non ſeorſim, ſed junctim tribuenda ſit Romanis. Etenim in publicis hujuſcemodi rebus (an etiam in privatis?) ſi ſolus Imperator totum repræſentat Imperium (*Conſ Homin.*), quam magis Imperator cum Exercitu? Omnium quippe eſt concurſus Armis, Voluntate, Conſilio. Judas enim Machabæus aut ſuo tantum, aut ſuo, & quorumdam melioris notæ decreto elegit Eupolemum filium Joannis, & Jaſonem filium Eleazari, & miſit eos Romam conſtituere cum illis amicitiam, & ſocietatem. Et abierunt Romam, & introierunt Curiam, & dixerunt: Judas Machabæus, & fratres ejus, & Populus Judæorum miſerunt nos ad vos ſtatuere vobiſcum ſocietatem (*ſ*). Quod ſi vero ſolus Imperator (nam hoc etiam modo mihi venit in mentem) totum repræſentat Imperium, & unius Imperatoris gloria, vel Ignominia, totius Imperii ignominia eſt, vel Gloria; eritne paradoxon, ſi Primus Homo Univerſum Genus Humanum repræſentaſſe, ejuſque Innocentia primum, inde Turpitudo, Univerſi etiam Humani Generis Innocentia primum, indeque Turpitudo fuiſſe dicatur?

(*ſ*) *I. Machabæor. VIII. 17. ad 20.*

Digitized by Google

Naturæ lapſæ SEMPER (§. *Cit.* *A.*) reſiſtitur. *I.* Interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ ALIQUANDO (§. XXXV.) reſiſtitur. *I.* ALIQUA (§.§.XXXIII. XXXIV.) DEI Præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia. DEEST quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant. Famoſa alia Propoſitio ab ECCLESIA damnata. *E.* NULLA (§. XIII. *a.*) DEI præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia. NON DEEST (*hoc* §. *a.*) quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant. PAULUS NUNQUAM fuit (*o.* & *E.* §.§. XXX. XIII. *e.*) membrum Diaboli, licet fecerit quoſdam actus actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles. JOANNIS HUS hæretici Propoſitio a' CONCILIO CONSTANTIENSI *ſeſſ.* 45. proſcripta. PAULUS ALIQUANDO fuit (*i*, & *I.* §.§ XXX.XXXV. XXXVII.) membrum diaboli, cum fecerit quoſdam actus actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles. *o.* Immortalitas PRIMI HOMINIS non erat Gratiæ beneficium, *i.* ſed Naturalis conditio. Propoſitio 78.ª a PIO V. anathemate percuſſa. *i.* Immortalitas PRIMI HOMINIS erat Gratiæ beneficium, *o.* Non Naturalis conditio. Abſolutionis capax eſt HOMO, ſi, etiam per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium SS.ª TRINITATIS, & INCARNATIONIS. Propoſitio ab INNOCENTIO XI. *1679.* proſcripta. Abſolutionis capax non eſt HOMO (*b.* §. *a.* & §.*XIII.t.*), ſi, nec per negligentiam, nec culpabilem, neſciat myſterium SS.ª TRIN., & INCARNATIONIS.

§. XXXVIII.

Quoniam Propoſitio conſtat Subjecto, Prædicato, & Copula (§. II.); Hæc porro aut ponuntur aperte, & ordinate, h. e. Subjectum priore loco, hinc Copula, inde Præ-

dica-

dicatum (§. *Cit.*), aut, vel ob ignorantiam Linguæ (quod evitandum maxime), vel elegantiam (quod maxime optandum), implicite, vel perturbate. Si aperte, & ordinate, Propoſitio eſt CLARA. Si implicite, vel perturbate, OBSCURA, ſeu CRYPTICA (§. VII. γ.)

Ergo ego ſum vitæ dubius, Tu forſitan illic
Jucundum noſtri neſcia tempus agis (*m).

Prima, Ego ſum vitæ dubius, CLARA. Secunda, Tu forſitan illic jucundum noſtri neſcia tempus agis, OBSCURA. Patet enim Subjectum *Tu*, latent autem Prædicatum, & Copula. Sed hæc in hac, ſimilibuſque Propoſitionibus patebunt LOGICO, GRAMMATICO, & POETÆ; illi quidem Extremorum, alteri Vocabulorum, huic denique Carminis ratio. 82. Quamobrem OBSCURAM Propoſitionem ſic declaramus: Tu, neſcia noſtri, forſitan iſtic (*illic* enim pro *iſtic* per Catachreſin uſus eſt) es agens tempus jucundum. OBSCURAS haſce Plautinas,

Bona perdidi, Mala repperi, factus ſum extimus a vobis (*n), reddimus: Ego fui perdens bonorum, Ego fui repperiens malorum, Ego ſum factus extimus a vobis. ρ. OBSCURIOR *Cogito*, h. e. Ego ſum cogitans. Ejuſmodi ſunt verba omnium temporum omnia, ut *Scribo*, *Scripſi*, *Scribam*, h. e. Ego ſum, fui, ero ſcribens, *&c.* σ. OBSCURISSIMA *St.* h. e. Vos eſtote ſilenti.

(*m) *Conjugi* OVIDIUS *III. Triſt. III. 11.*

(*n) TRUCULENT. *fragm.* 270.

Z 2 τ. Quo-

82. Si Propoſitio OBSCURA fuerit Theologica; patebit GRAMMATICO, LOGICO, & THEOLOGO. Si Mathematica; GRAMMATICO, LOGICO, & MATHEMATICO. Et ſic porro. Quicunque ergo WOLFII ex. c. Opera legerit, at vel Logicæ, vel Matheſis, vel humaniorum Literarum, ac eruditionis expers; huic WOLFIANÆ Propoſitiones erunt omnes OBSCURÆ, & patebunt nunquam, non tamen WOLFII, ſed ſuo defectu.

Digitized by Google

7\. Quotieſcumque Pronomina Hic, Ille, &c. ſtant pro Subjecto, toties Obscura Propoſitio. Clareſcit autem per Copulam, & Prædicatum; ita ergo, ut Extrema ſint idem, hoc tantum diſcrimine, quod Subjectum ſit confuſum, luculentum vero Prædicatum (§. II. & I. H. *Ex. ad* §. VI.).

Hoc erat, alma parens, quo me per tela, per ignes, Eripis? Ut mediis hoſtem in penetralibus, utque Aſcaniumque, Patremque meum, juxtaque Creuſam, Alterum in alterius mactatos ſanguine Cernam? VENEREM alloquitur ÆNEAS. II. 664. & *ſeqq.* Hic ſtatus, Hæc rerum nunc eſt fortuna mearum; Debeat Ut lacrymis nullus adeſſe modus. I. TRIST. IX. 1. Exemplum alterum exhibet AUGUSTISSIMUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM, quod divina Propoſitione conficitur, *Hoc eſt Corpus meum.* 83.

§. XXXIX.

83\. Auctor Artis Cogitandi *P. II. C. XII.* aſſerit in hiſce Propoſitionibus Pronomine *Hoc* duplex involvi Subjectum. Quare Propoſitio, *Hoc* eſt Corpus meum, in has ejus judicio reſolvitur: *Hoc*, quod eſt panis momento iſto, hoc alio eſt Corpus meum. Non autem noſtro (*ex præd.*), nec Theologorum judicio (g). Item, quum de Flumine dicimus, Hæc aqua nudius tertius erat turbulenta, nunc vero, uti cryſtallum, perlucida, unum eſt Subjectum. *Hæc* enim *Aqua* non ſignificat *Hæc individua, quæ nunc delabitur, Aqua*, non adeo plumbei ſunt homines; ſed *Hoc Flumen*, ſcilicet, *Aqua, quæ in hoc loco perenniter fluit* (h), *nudius tertius erat turbulenta, nunc vero, uti Cryſtallum, perlucida.* Ac ita dicendum de reliquis ejuſdem Auctoris, eodemque Cit. C. Propoſitionibus, ex ſuis etiam principiis *P. II. C. V. ſub init. p. 103. f. Verſionis Italicæ.*

(g) *HABERT. T. VII. de Euchar. C. II. Q. 6. p. 344. 345. Legeſis FRASSEN T. XI. Tract. II. Diſp. I. Artic. I. Sect. 3. Q. 3. Quaret. I. p. 103. Venetiis 1744.*

(h) *Subjectum abſtractum, Loci ſingularitate contractum. (Par. g. XXIX. 3.)*

§. XXXIX.

Quoniam Propoſitio conſtat Subjecto, & Prædicato (§. II.), Utrumque autem, vel alterutrum, & Unum, & Multiplex eſſe poteſt; Propoſitio ergo & Una, & Multiplex eſſe poteſt. Quum utrumque Unum eſt, Una eſt, ſeu SIMPLEX Propoſitio.

Vultus loquitur quodcumque tegis. HERC. ŒT. 705.
Non obtuſa adeo geſtamus Pectora Pœni. ÆNEID. I, 571.

§. XL.

Quum Simplici Simplex hæret Propoſitio (§. XXXIX.); oritur COMPLEXA. Quæ hæret, INCIDENS; cui hæret, PRINCIPALIS dicitur.

Semel profecto premere felices DEUS
Cum cœpit, urget. HERC. ŒT. 713.
O tumide, rerum dum ſecundarum ſtatus
Extollit animos, time. TROAS. 299.
DEUS *urget*, PRINCIPALIS. *Cum cœpit ſemel premere felices*, INCIDENS. Similiter, *O tumide time*, PRINCIPALIS. *Dum ſtatus rerum ſecundarum extollit animos*, INCIDENS.

At munus Incidentis multiforme. Aliquando eſt ORNAMENTUM Principalis, ſine quo & integra hæc manet, & intelligitur.

Hæc cura, Quirites, erit infixa animo meo ſempiterna, ut cum Vobis, Qui apud me Deorum Immortalium vim & numen tenetis (*o), tum poſteris ve-

(*o) *Incidens*, & *Ornamentum*.

(*p) *Principalis.*

veſtris, cunctiſque Gentibus Dignissimus ea Civitate videar (*p), quæ ſuam dignitatem non poſſe tenere ſe, niſi me recuperaſſet, cunctis ſuffragiis judicavit. AD QUIRIT. *poſt redit. f.*

[*o] *Incidens, & Ornamentum.*

Reſtitit ÆNEAS (*p), claraque in luce refulſit,
Os, humeroſque Deo ſimilis (*o). ÆNEID. I. 592.
Dum loquor, & flemus, Cœlo nitidiſſimus alto [*o],
Stella gravis nobis [*o], Lucifer ortus erat [*p], I.° TRIST. III.° 36. Cave, hæc Ornamenta vana dicas & ſuperflua, ut pleraque eorum, qui Rethorum nomine gloriantur: nomine quidem, at re non ſunt. Nam illa Incidente CICERO Quiritum ſibi animos conciliabat. Hac Incidente VIRGILIUS ÆNEAM deſcribit qualem eſſe decebat Deæ filium, recens cum Dea verſatum, cujus ergo divina vultûs majeſtate barbaræ Gentes & feræ in officium traherentur. Denique OVIDIUS nitore Stellæ, & gravitate inexcuſabilem, moleſtiſſimumque diſceſſum deflebat.

ȹ. Aliquando Subjectum Principalis explicat, ut ita Prædicatum tempeſtive, conſiderateque illi attributum intelligamus.

(*q) *LABIENUS dat ſignum prælii eſt propoſitio Principalis; cetera Incidentes.*

Labienus, Milites cohortatus, ut ſuæ priſtinæ virtutis, Et tot ſecundiſſimorum præliorum memoriam tenerent, Atque ipſum Cæſarem, cujus ductu ſæpe numero hoſtes ſuperaſſent, adeſſe exiſtimarent, Dat Signum prælii [*q]. CÆSAR *Comm. de Bell.Gallic. VII.° XXIII. 62.*

(*r) *TURNUS ultro implacabilis ardet ſunt Principalis Extrema; reliqua Incidentes, & illorum conjunctionis cauſſa.*

ϰ. Aliquando cauſſam conjunctionis, vel disjunctionis Extremorum affert.

Turnus, Ut infractos adverſo marte Latinos
Defeciſſe videt, Sua nunc promiſſa repoſci,
Se ſignari oculis, Ultro implacabilis ardet [*r].
ÆNEID. XII. 1. 2. 3.

ɣ. Ali-

4. Aliquando rationem conjunctionis, vel disjunctionis Extremorum (*g*).

Ego adoleſcentes bonos & fortes, Sed uſos ea conditione fortunæ, ut, Si eſſent Magiſtratus adepti, Reipublicæ ſtatum convulſuri viderentur, Meis inimicitiis, Nulla Senatus mala gratia, Comitiorum ratione privavi (*s). CICERO *in Piſon. pr.*

5. Aliquando fidem creat Extremis.

Me Quintus Catulus, Princeps hujus Ordinis, Et auctor publici Conſilii, Frequentiſſimo ſenatu, Parentem Patriæ nominavit (*t). CICERO *in Piſon. pr.*

6. Aliquando Subjecti Principalis extenſionem coërcet, unumque cum eo Subjectum conſtituit; ut adeo Prædicatum Subjecto, niſi cum Incidente, vel Incidentibus, non congruat.

Miſer Homo eſt qui ipſe ſibi quod edit quærit, & id ægre invenit.
Sed ille eſt miſerior qui & ægre quærit, & nihil invenit.
Ille miſerrimus eſt qui cum eſſe cupit, quod edit non habet. CAPTEIV. III.° 1.° Nimirum: Homo qui ipſe quærit ſibi quod edit & id ægre invenit (*u) eſt (*x) miſer (*y). Ergo Prædicatum *Miſer* non de homine tantum affirmatur, ſed de homine quærente quod edat idque ægre inveniente. Quamobrem ſi detur *I*, vel *O* (§. XXXII.), *Indefinita* (*Ex. ad* §. *XXVI.*), & alterutrius Extremi Definitio (§. XVII.) cum Signo univerſalitatis (§. XIII. 2.) fiat Incidens Subjecti datæ; proveniet *A*, vel *E* (§. XIV.). Sit *I*, Homo eſt Geometra. En *A*, Omnis

(*g*) *Quid interſit inter rationem, & Cauſſam intelliges ex I. aH. Parag. XIII.*

(*s) *Ego adoleſcentes bonos & fortes Comitiorum ratione privavi, eſt Principalis; ſunt reliqua Incidentes.*

(*t) *Me Quintus Catulus Parentem Patriæ nominavit, Propoſitio Principalis; cetera Incidentes, fidem illi creantes.*

(*u) *Sunt hæc omnia Subjectum.*

(*x) *Copula*

(*y) *Prædicatum.*

Omnis homo qui ſcit metiri ſpatium a Corpore occupatum eſt Geometra (§. XXXVI. L. I. 2.).

Qui ſummum Bonum ſic inſtituit ut nihil habeat cum virtute conjunctum Idque ſuis commodis non honeſtate metitur Hic ſi ſibi ipſe conſentiat & non interdum naturæ bonitate vincatur (*z); NEQUE amicitiam colere poſſit, nec juſtitiam, nec Liberalitatem. CICERO I.° *Officior. Proœm. ſ.*[e]

(*z) *Hac Omnia Subjectum faciunt; reliqua Prædicatum, & Copulam.*

Aër ſerenus, gravis, temperate calidus, & ſiccus, a mediterraneis puris, & a fluminibus ſpirans, leni agitatus vento, ſubitarum, & magnarum mutationum expers, apricus, & ruralis, ab exhalationibus ſalinis, oleoſiſque defœcatus [*z], OPTIMUS eſt in genere ſanitati tuendæ. BOERH. *de San. tuend.* §.1032. *Legéſis ibid.* §. 1033. & *Œconom. Animal.* §. 200.*n.*° 3.

β. Quam in Periodo Rethores *Protaſin* vocant, Incidens eſt; & quæ *Apodoſis* dicitur, Principalis. Nam illa ob hanc ponitur.

Cum in omnibus cauſis gravioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoveri ſoleam vehementius, quam videtur vel uſus, vel ætas mea poſtulare (*a): TUM in hac cauſſa ita me multa perturbant, ut, quantum mea fides ſtudii mihi afferat ad ſalutem Regis Dejotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. PRO DEJOT. *Exord.*

(*a) *Protaſis, vel Incidentes. Quæ ſequuntur, Apodoſin conſtituunt, & Principalem.*

Poſtquam Rex Aſiæ, Priamique evertere Gentem
Immeritam viſum ſuperis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja (*a);
DIVERSA exilia, & deſertas quærere terras
Auguriis agimur Divum. ÆNEID. III. 1. *ad* 5.

γ. Aliquando Explicatio, δ. aliquando Robur eſt, ε. vel Augumentum Principalis. ζ. Quod ſi denique lateat, OBSCURA Propoſitio, quæ tandem attentione clareſcet.

Fra-

Fraxinus in Sylvis pulcherrima, Pinus in hortis, Populus in Fluviis, Abies in montibus altis. ECL. VII. 65. 66. Nimirum, Fraxinus poſita in Sylvis eſt pulcherrima; ſive, Omnis Fraxinus, quæ floret in Sylvis, eſt pulcherrima. Omnis Pinus, *&c.* (*Ex. ad hunc. §. a.*).

§. XLI.

Quum Extrema ſunt multa, at una dumtaxat Copula, vel multæ inſtar Extremorum Propoſitiones Simplices, vel Complexæ (§.§. II. XXXIX. XL.); Composita eſt Propoſitio.

.... Oboluiſti allium
Germana illuvies. Ruſticus, Hircus, Hara ſuis,
Canes Capro commiſta. MOSTELLAR. I.ª I.ª 38.
Non novi hominis faciem (*c). At faciam, ut noveris (*d).
Magnus, Rubicundus, Criſpus, Craſſus, Cæſius,
Cadaveroſa facie. HECYR. III.ª IV.ª

(*c) *PARMENO de SOSIA.*
(*d) *Reſpondet PAMPHILUS.*

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere Patriæ, Parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, Tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, Sæculo pacem ſuo. OCTAVIA. 473.
Regem non faciunt Opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet. THYEST. 345.

§. XLII.

Si Extremorum multitudo patet, Compoſi-

poſita (§. XLI.) eſt Clara, vel, ut loquuntur, *Explicita*. Si latet, Obscura, vel *Exponibilis*.

§. XLIII.

Explicitarum (§. XLII.) 1.° Copulativa; qua vocabulis, Et in Affirmante (§. VII.), Nec cum Synonymis in Negante (§. X.) Extremorum multitudo connectitur.

Te Quoque magna Pales, Et Te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo, vos Sylvæ, AmnesQue Lycæi. GEORGIC. III. 1. 2.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, Palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit Turtur ab Ulmo. ECL. I. 58. 59.

§. XLIV.

2.° (§. XLIII.) Disjunctiva, qua Diviſionis inſtar (§. XVIII.) Vocabulis Aut, Vel, Sive, ex duobus, pluribusve prædicatis, ſic oppoſitis, ut medium excludant, unum, licet indeterminate, Subjecto tribuitur.

Omnes homines Aut liberi ſunt, Aut ſervi. DE JUR. PERSON. *pr.*
Rhœbe (*e), diu, res ſiqua diu Mortalibus ulla eſt,
Viximus; Aut hodie victor ſpolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lauſique dolorum
Ultor eris mecum: Aut, aperit ſi nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim (§. IX.), fortiſſime, credo,
Juſſa aliena pati, & dominos dignabere Teucros (*f).
ÆNEID. X. 861.

(*e) *Apoſtrophe, qua MEZENTIUS, Vir fortiſſimus, equum ſuum alloquitur, cui nomen Rhoebus.*

(*f) *Equo ſcilicet Aut vincendum, Aut moriendum erat.*

Aut

Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos, venturaque deſuper urbi;
Aut aliquis latet error. ÆNEID. II. 45. (*g)

(*g) Aliud habet Exemplum ÆNEID. XII. 44.

Ah quoties, aliquo, dixi, properante, quid urges?
Vel quo feſtinas ire, Vel unde, vide. I.° TRIST. III.° 26.

Nunc ego jactandas optarem ſumere pennas,
Sive tuas, Perſeu; Dedale, Sive tuas. III.° TRIST. VIII.° 3.

Sed prior illa VIRGILII felicior, ac imitanda. Hæ nempe particulæ ſunt æquivocæ. Nam aliquando Disjunctionem faciunt, at ſine oppoſitione, ut OVIDII poſtrema. Aliquando Similitudinem indicant. Sæpe Synonymiam redolent. Interdum Copulativam. Et huc ergo non ſpectant.

Egredior, Sive illud erat ſine funere ferri,
Squalidus, immiſſis hirta per ora comis. I.° TRIST. III.° 45.

.... Nihil ipſa Nec auræ (*h)
Nec ſonitus memor, Aut venientis ab æthere teli.
ÆNEID. XI. 792. 793.

(*h) De CAMILLA loquitur POETA.

§. XLV.

3.° (§. XLIII.) Caussalis, quæ vocabulis Quia, Quoniam cum Synonymis partis alterius rationem affert, & tota concluditur.

Parce gaudere oportet, & ſenſim queri,
Totam Quia vitam miſcet dolor, & gaudium.
PHÆDR. IV.° XVI.° Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, Quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt. CICERO *Cat. maj. XVII. med.*

§. XLVI.

4.° (§. XLIII.) Reduplicativa, qua Vocabulis Quatenus, Ut, &c. vel Subjectum iterum, vel Subjecti Determinatio, vel quid aliud ſemel cum Subjecto ſumitur, atque ex hujus intrinſeca, puraque notione Prædicatum illi ſuum attribuitur (§.§.X.XI.XII.L.I.).

§. XLVII.

5.° (§. XLIII.) Hypothetica (§. XXIII. β.), cujus Pars altera, erumpit ab altera particulâ Si affectâ, Extremorum certe naturâ, aut Proponentis ratione.

Si judicas, cognoſce. Si regnas, Jube. MEDEA 195. . . . . . Si vis me flere,
Dolendum eſt primum ipſi tibi. HORAT. *in Arte*. Si ſervitus ſit, ſicut eſt, obedientia fracti animi, & abjecti, & arbitrio carentis ſuo; quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſervos? CICERO *in Paradox.* *V.° I.° f.°* Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere. Sin autem homo es, id quod es, ſemper te eſſe cogita. SCYTHÆ ALEXANDRO *apud* CURTIUM *VII.* 1. *f.°* Si cui fundus alienus legatus ſit, & emerit proprietatem, deducto Uſufructu, & Uſusfructus ad eum pervenerit, & poſtea ex Teſtamento agat; recte eum agere, & fundum petere Julianus ait. §.IX.INSTIT. *de Legat.* Valde Hypotheticæ affinis eſt divina illa JACOBI. V. 13, 14.: Triſtatur aliquis veſtrum? Oret. Æquo animo eſt? Pſallat. Infirmatur quis in vobis? Inducat præsbiteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum.

Digitized by Google

§. XLVIII.

6.° (§. XLIII.) Diſcreta, cujus Extrema tam eleganter cohærent, ut illud de Subjecto affirmetur, quod tu negandum eſſe putares, & contra.

Non nobis, Domine, non nobis, Sed Nomini tuo da gloriam. PS. CXIII. 1.
Cœlum, Non animum mutant, qui trans mare currunt. HORAT. *Epiſtolar. I.° XI.° ſ.°*
Hic reſpondere voluit, Non laceſſere. PHORMION. *prol.*
Nec ego tibi, Sed cauſa cauſæ reſpondit. HIERONYMUS AUGUSTINO *int. Oper. Auguſt. Ep. XVIII.° ſ.°*

§. XLIX.

7.° (§. XLIII.) Relativa, cujus Extrema Vocabulis Quantum, Tantum; Ubi, Ibi; Qualis, Talis; Quam, Tam, *&c.* junguntur adeo, ut pars altera alteram efflagitet, quæ Propoſitionem compleat, moveatque animum novitate.

Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit,
Tantum date illi tormentum, & luctum. APOCAL. XVIII. 7.
Ubi fuerit Superbia, Ibi erit & Contumelia.
Ubi autem eſt Humilitas, Ibi & Sapientia. PROVERB. XI. 2.
Qualis Rector eſt Civitatis, Tales & inhabitantes in ea. ECCLI X. 2.
Quam eſtis maxime
Potentes, Dites, Fortunati, Nobiles,
Tam maxime vos æquo animo æqua noſcere
Opor-

Oportet, ſi vos vultis perhiberi probos. ADELPH. III. V.

§. L.

8.ª (§. XLIII.) Conciliatrix, qua Prædicatum alteri etiam Subjecto tribuitur, inopinato adjuncto.

Naturâ Tu illi Pater es, Conſiliis Ego. ADELPH. I. II.

§. LI.

9.ª (§. XLIII.) Suspensiva, quæ quid ſit patet ex termino.

In eo omnis difficultas, Ut aſſignetur fabrica, & cauſſa contrahens Muſculi. BOERH. *Œconom. Animal.* §. 392. (*i)

(*i) *Propoſitio, In eo omnis Difficultas, non, niſi cum ſequente, ſignificat plene.*

§. LII.

Exponibilium (§. XLII.) 1.ª Exclusiva, qua vocabulis Solus, Tantum, *&c.* aut Subjectum afficitur, aut Prædicatum. ª· Si Subjectum, cetera omnia Subjecta dato careant Prædicato. ᵇ· Si Prædicatum, reliqua de Subjecto Predicata negentur oportet.

Dic, quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores, & Phyllida Solus [ª.] habeto.
ECL. III. 106. 107. Nimirum: Dic, in quibus terris flores naſcantur inſcripti nomina Regum, & Tu habeto Phyllida, & nemo alius.
O Tantum (ᵇ.) libeat mecum Tibi ſordida rura,
Atque

Atque humiles habitare caſas, & figere cervos, Hædorumque gregem viridi compellere hibiſco! ECL. II. 28. 29. 30. Nempe: O libeat Tibi habitare mecum rura ſordida, atque caſas humiles, & figere cervos, & compellere gregem hædorum hibiſco viridi, & nil aliud!

ι. Excluſivæ opponitur Inclusiva, cujus indicia Non Modo, Sed Etiam cum Synonymis. κ. Ex qua quum ſæpe concludatur aliquid, Conclusiva oritur (*Not.* 15. *a.*).

Quamquam Libri noſtri complures Non Modo ad legendi, Sed Etiam (ι.) ad ſcribendi ſtudium excitaverunt: Tamen (κ. & §. XL. β.) interdum vereor, ne quibuſdam bonis viris, Philoſophiæ nomen ſit inviſum, mirenturque in ea tantum me operæ, & temporis ponere.. Atque utinam Reſpublica ſtetiſſet, quo cœperat, ſtatu, nec in homines Non Tam commutandarum rerum, Quam (ι.) evertendarum cupido incidiſſet! Primum enim (κ.) (ut ſtante Republica facere ſolebamus) in agendo plus, quam in ſcribendo operæ poneremus. Deinde ipſis ſcriptis non ea, quæ nunc, ſed actiones noſtras mandaremus, ut ſæpe fecimus. II. OFFICIOR. *proœm. ſub init.*

§. LIII.

2.° (§. LII.) Exceptiva, cujus per Vocabula Nisi, Præter, *&c.* Extremorum extenſio corripitur.

Liberis ſuis Teſtamentum Nemo facere poteſt; Nisi & ſibi faciat. §. V. INSTIT. *de pupillar. ſubſtitut.* Nemo ad littus maris accedere prohibetur, Dum Tamen a villis, & monumentis, & ædificiis abſtineat, quia non ſunt juris Gentium, ſicut mare. §. V. INSTIT. *de rer. diviſ.*

a. At

λ. At *Præter* interdum ſignificat Contra:
μ. Identidem Excluſionem (§. LII).

Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſcuſſiones, & offendicula Præter (λ.) doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt. AD ROMAN. XVI. 17. AD GALAT. I. 8. 9. Quis eſt DEUS Præter (μ.) Dominum? (§. X. μ.). II. REG. XXII. 32.

§. LIV.

3.° (§. LII.) Restrictiva, cujus Prædicatum Subjecto convenit non omni circumſtantia, ſed quadam: aut non omnibus Subjecti Determinationibus, ſed quibuſdam, vel cuidam. Id autem indicant Qua, Quatenus, Ubi, *&c.*

Pupillus omne negotium recte gerit, Ita Tamen, Ut, Ubi Tutoris authoritas neceſſaria ſit, adhibeatur Tutor. §. IX. INSTIT. *de Inutil. Stip.* Copia Cibi optima cnique, Quam ſequitur ſenſus refectionis, Non torporis. Tutior ſobrietas, Sed debilibus: Exceſſus melior, Sed robuſtis. BOERH. *de ſan. tuend.* §. 1039.

Tityre paſcentes a flumine rejice Capellas,
Ipſe, Ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo. ECL. III. 96. 97.

ν. Reſtrictivæ opponitur Amplians, & ejus indicia Etiamsi cum ſynonymis Etsi, Licet, *&c.*

Si quis, teſtamento jure perfecto, poſterius æque jure fecerit, Etiamsi ex certis rebus in eo hæredem inſti-

inſtituerit; ſuperius tamen Teſtamentum ſublatum eſſe Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt. §. III. INSTIT. *quib. mod. Teſtament. infirm.* Qui in poteſtate Parentis eſt impubes, NE auctore QUIDEM Patre obligatur. §. X. INSTIT. *ſ. de Inutil. Stipul.*

.... ETSI nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas. ÆNEID. II. 583. *& ſeqq.*

§. LV.

4. (§. LII.) COMPARATIVA, cujus Prædicatum ita Subjecto congruit, ut & alteri congruat, at alterutri magis.

Vis magna Populi eſt, Principis MAJOR tamen. OCTAVIA 185. Sapiens Sophocles, SAPIENTIOR Euripides, Omnium Sapientiſſimus Socrates. CAT. MAJ. XXI. BANDIER, *hic Not.* 3. Eloqui copioſe, modo prudenter, MELIUS eſt, quam vel acutiſſime ſine Eloquentia cogitare. I. OFFICIOR. 45. Nerine Galatea, thymo mihi DULCIOR Hyblæ, CANDIDIOR Cycnis, edera FORMOSIOR alba. ECL. VII. 37. 38.

ξ. Quum autem malo bonum ſit præferendum, & interdum malo malum; fieri etiam inter hæc comparatio poteſt (*Ex. ad* §. *VII.* [β]).

§. LVI.

5. (§. LII.) INCEPTIVA, qua primùm

 rei

Digitized by Google

rei principium: 6. -- DESITIVA; qua primùm rei finis exprimitur.

Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, DONEC (*.) veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. GENES. XIX. 10. Ergo Finis Sceptri Judaici eſt initium Adventûs MESSIÆ, & viciſſim. Teſtamentum jure factum uſque eo valet, DONEC (*.) rumpatur, irritumve fiat. INSTIT. *Quibus modis Teſtam. infirment. pr.* Ante Auguſti tempora conſtat Codicillorum jus in uſu non fuiſſe. Sed PRIMUS (∘.) Lucius Lentulus (ex cujus Perſona etiam Fideicommiſſa eſſe COEPERUNT) Codicillos introduxit. INSTIT. *de Codicill. pr.*

HACTENUS (*) arvorum cultus, & ſydera Cœli.
NUNC (∘) te, Bacche, canam, necnon ſylveſtria tecum
Virgulta, & prolem tarde creſcentis olivæ. GEORG. II. 1. 2. 3.

§. LVII.

7.° (§. LII.) ARGUTA, quæ præter Extrema neſcio quid ſecum affert elegans feſtivumque, aut grave demum, vel ſubtile.

... Quæ res in ſe neque Conſilium, neque modum
Habet ullum, EAM Conſilio regere non potes.
In Amore hæc omnia inſunt vitia: injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, UT cum Ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Egone illam? Quæ illum? Quæ me? Quæ non? Sine
modo:
Mori me malim, ſentiet qui vir ſiem.
Hæc verba mehercule UNA falſa lacrumula,

Quam

Quam, oculos terendo miſere, Vix vi expreſſerit!
Reſtinguet: & te ultro accuſabis, & ei dabis
Ultro ſupplicium. EUNUCH. I. I.
. . . . O Demea
Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, SED ETIAM illa, quæ futura ſunt,
Proſpicere. ADELPH. III. IV.
Quid? Credebas, DORMIENTI hæc tibi confecturos
Deos? ADELPH. IV. V.
Ego me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem
eſſe, id ſcio.
Sed hic adjutor meus, & monitor, & præmonſtrator
Chremes
Hoc mihi præſtat. In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum, Caudex, Stipes, Aſinus,
Plumbeus.
In illum nil poteſt. NAM exuperat ejus ſtultitia hæc
omnia. HEAUTONTIM. V. I.
Ac ita me volſellæ, pecten, ſpeculum, calamiſtrum
meum
Bene me amaſſint, meaque axicia, linteumque exterſum,
Ut ego TUA magnifica verba, neque iſtas tuas magnas
minas,
Non pluris facio, quam ancillam meam, quæ latrinam lavat. CURCUL. IV. I. 21. *& ſeqq.*
O CARNIFICUM CRIBRUM, quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reveniat ſenex. MOSTELLAR. I. I.
51., *& ſeqq.*
Ille autem expirans (*k): non me, quicunque es,
inulto,
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem ſubridens miſta Mezentius ira:
NUNC morere, aſt de me Divum Pater, atque hominum rex

(*k) *ORODES proſtratus a MEZENTIO.*

Vide-

Viderit ; hoc diceas, eduxit de corpore telum. ÆNEID. X. 731., & ſeqq. A Philoſophis, inquis, iſta ſumis. METUEBAM, ne a Lenonibus diceres. CICERO *in Paradox.* III. 2. Publium Scipionem, Marce Fili, eum, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato (qui fuit fere ejus æqualis) NUNQUAM ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, Nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Magnifica vero vox, & magno viro, ac Sapiente digna: quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum; ut neque ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. III.° OFFICIOR. *proœm.* Hinc ergo & Satyrici Verſus, & Epigrammata, & familiaris etiam ſermonis Embammata, ut ita loquar, & Sales.

§. LVIII.

Quoniam Propoſitio conſtat Copula (§. II.), Hæc autem quandoque MODUM etiam conjunctionis, vel disjunctionis Extremorum exprimit; MODALIS hinc oritur Propoſitio.

Ubi Animus ſemel ſe cupiditate devinxit mala,
NECESSE eſt conſilia conſequi conſimilia.
HEAUTONTIM. I.° IV.°
.... Triſtia mæſtum
Vultum Verba DECENT, Iratum plena minarum,
Ludentem laſciva, Severum ſeria dictu. HORAT.
in Art. ſ.ª m.ª

1. OMNIMODE, NULLIMODE, ALIQUATENUS ſunt *A*, *E*, *I*, MODALES (§.§. XIV.XIII.XXXII. & *hoc* §.). 2. Quod ſi Modus lateat, OBSCURA.

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces.
Ante, pererratis amborum finibus, exul ...

Aut

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam noſtro illius labatur pectore vultus. ECL. I. 60., & *ſeqq.* Nimirum, eſt impoſſibile *phyſice* (*Not.* 63.).

§. LIX.

4.° (§. I.)

Quoniam omnis Propoſitio Theoretica eſt, aut Practica (§. VI.); Practica eſt VERA, aut, ſi mavis, RECTA, ſi Theoretica eſt VERA (§. IX.). Quæcunque autem Theoretica eſt VERA, ſi VERUM; FALSA, ſi FALSUM manifeſtat Judicium (§. II. & I.° H. §. XXI. & *Not.* 65.). Cetera, ad hunc locum attinentia, quum docuimus (§. VII. *ad* LVIII.), oſtendimus.

§. LX.

Quandoquidem Impoſſibile eſt Idem ſimul eſſe, & non eſſe, CONTRADICTORIÆ autem Propoſitiones ponunt Idem ſimul eſſe, & non eſſe (§. XXXVII. *. *.); CONDRADICTORIARUM alterutra ſit FALSA, altera VERA neceſſe eſt. Quum autem Propoſitiones, ab ECCLESIA damnatæ (*Ex. ad* §. *Cit.*), ſint, ob ejus infallibile Judicium (I.° AD TIM. III. 15.), FALSÆ; earundem CONTRADICTORIÆ (*Ex. Cit.*) ſunt VERÆ.

§. LXI.

Quemadmodum Propoſitio Vera eſt, aut

Falſa

Falſa (§. LIX.), ita Proponens VERAX eſt; aut MENDAX. Si Propoſitio Judicio conſonat ſuo, & Conſcientiæ (*I.ª H.* §. *IX.*), VERAX; ſin minus, MENDAX. VIRGILIANUS ergo LAOCOON VERAX, SINON MENDAX fuit. ÆNEID. II. 41. 66. DIVINO autem JUDICIO Omnis Homo MENDAX. PS. CXV. 11. LXI. 10. Scilicet *I-A* (§. XXXVI. (*g*). Sed VERAX falſum dicere aliquando poteſt, & MENDAX Verum. Atque de his uſque affatim. Itaque

(*g) *Confer TIRINUM in PSALM. CXV. 11. & in PSALM. LXI. 10.*

S. D. G.

S. D. G.

LIBRI III.

FINIS.

SCHO-

SCHOLÆ VERITATIS INQUIRENDÆ

LIBER IV.

DE RATIOCINIO, ET SYLLOGISMO

PARS I.

DE RATIOCINIO*

*Parag. 10. Prol.

§. I.

QUÆ dudum de Judicio (I.° III. §. I.), eadem de RATIOCINIO quæram. 1.° Igitur QUID, 2.° QUOTUPLEX, 3.° QUOMODO ORTUM (II.° III. §. XIX.), 4.° CUJUS (§.§. XIV. XVI. L. I.), 5.° QUINAM SIT RATIOCINII AD VERITATEM RECTUS USUS? (§. XX. L. I.).

§. II.

§. II.

1.° 2.° 3.° (§. I.)

Si cum dato quocumque Subjecto conjungimus, vel disjungimus, Aut conjungendum, vel disjungendum cogitamus Prædicatum, quia hoc idem eſt prorſus, ac alterutrum ex Extremis explorati cujuſdam Judicii Univerſalis, quod modo vel Imaginatio excitat ultro, vel RATIO inveſtigat (I.[a] III.[i] §. IV., *&* *Ex. ad* §. X.; I.[a] II.[i] §. IX.; & I.[a] III.[i] §. XIII. [..]); RATIOCINAMUR (I.[a] III.[i] §. §. XI. XIII. [..], *&* *Not. 52.*).

Viderim olim marmoreum, pictumve Leonem. Judicarim porro (II.[a] II.[i] §. VI): *LEO* eſt Quadrupes, major moloſſo, ferox, fronte quadrata, amplo pectore, & plantis, ac juba condecoratus (I.[a] III.[i] *Ex. ad* §. X. *&* *Not.* 30.). Videam nunc primum vivum Quadrupedem, majorem moloſſo, ferocem, fronte quadrata, amplis pectore, & plantis, ac juba condecoratum; en *LEO* eſt, ajo (*Exp. Inter.* [I.[a] III.[i] §. IX., *&* *Not.* 57.]). Extemplo ſcilicet RATIOCINATUS SUM, hunc autem in modum: *HIC* (II.[a] III.[i] §. XXXVIII. 7.) eſt Quadrupes, major moloſſo, ferox, fronte quadrata, amplo pectore, & plantis, ac juba condecoratus; *QUADRUPES*, major moloſſo, ferox, fronte quadrata, amplo pectore, & plantis eſt *LEO*; *HIC* eſt *LEO*. Viderim Anglum (*Not.* 29.). Judicarim porro: *ANGLUS* eſt candidus, & aſpectu decorus, roſeo ore, aureo crine, gravis inceſſu, *&c.* (I.[a] II.[i] §. XXVIII. *&* *Not. Cit.*; & I.[a] III.[i] *Ex. ad* §. X.). Videam nunc primum Advenam, non candidum, non aſpectu decorum, non aureo crine, nec roſeo ore, nec gravem in-

inceſſu; *HIC*, mihi ſecreto quærenti, non eſt *ANGLVS*, reſpondeo. Scilicet Ratiocinatus Sum, hunc autem in modum. *HIC* non eſt candidus, non aſpectu decorus, non roſeo ore, non aureo crine, nec gravis inceſſu; *ANGLVS* eſt candidus, & aſpectu decorus, roſeo ore, aureo crine, & gravis inceſſu *HIC* non eſt *ANGLVS*.

§. III.

Si cum dati Judicii Individualis Subjecto (I.ª III.ⁱ §. VI.) conjungimus, vel disjungimus, Aut conjungendum, vel disjungendum cogitamus Prædicatum alterum, quia eſt Prædicatum Dati, hoc autem Subjectum in explorato quodam Univerſali Judicio (I.ª III.ⁱ *Ex. ad* §. X.), Theoretico, vel Practico (I.ª III.ⁱ §. III.), quod modo Imaginatio excitat ſponte (I.ª II.ⁱ §. IX.), vel Ratio inveſtigat (I.ª III. §. XIII. *ι.*); Ratiocinamur (I.ª III.ⁱ §.§. XI. XIII. *ι. ε.* & *Not. 52.*).

Eſto Judicium: *HI* ſunt Siculi (II.ª III.ⁱ §. XXIX. *ε. ζ.*, & §.III.). Hoc aliud modo excitet Imaginatio, vel inveſtiget Ratio: Siculi ſunt nimis acuti, & ſuſpicioſi (II.ª III.ⁱ *Ex.ad* §.XXXI.); *HI* ſunt, affirmas, nimis acuti, & ſuſpicioſi. Scilicet Ratiocinatus Es, hunc autem in modum: *HI* ſunt Siculi; Siculi ſunt nimis acuti, & ſuſpicioſi; *HI* ſunt nimis acuti, & ſuſpicioſi. Eſto Judicium: *HIC* eſt Inimicus meus. Hoc aliud modo Sanctiſſimi noſtrum SERVATORIS excitet Imaginatio, vel inveſtiget Ratio: Inimicus eſt diligendus; *HIC* eſt diligendus, affirmo. Scilicet Ratiocinatus Sum, hunc autem in modum: *HIC* eſt meus Inimicus; Inimicus eſt diligendus: *HIC* eſt diligendus. Eſto de-

mum: *HOC* mihi nolo. Nunc aliud excitet Imaginatio, vel inveſtiget Ratio: Quod mihi nolo, non eſt alteri faciendum; ſtatim, *HOC* non eſt alteri faciendum, affirmo. Scilicet Ratiocinatus Sum, hunc autem in modum: *HOC* mihi nolo; *QVOD* mihi nolo, non eſt alteri faciendum; *HOC* non eſt alteri faciendum. Et ſic porro.

§. IV.

Atque hujuſmodi Ratiociniorum (*Ex. ad* §§. II. III.) prius Judicium exhibet nobis vel obvia nimium Experientia, vel nimium obvia, ac interdum incerta Ratio; ſecundum Imaginatio plerumque, aliquando Ratio, & hæc identidem nec *metaphyſice* univerſalis, nec *a priori* (II.[a] III.[i] *Ex. ad* §. XII. [r. q.], §. III.; & I.[a] III.[i] §. XIII. [s. t.]), nec noſtra (I.[a] III.[i] §. XVI.), ſed ex Sententia, vel Proverbio (II.[a] III.[i] §. XXVII.); tertium ſemper Ratio (I.[a] III.[i] §. XIII. [t.]). Et quia omnino celerrime fiunt a nobis; Tria quum ſint, Unum, & Ratiocinia quum ſint, Judicia videntur. Quoniam vero eadem hæc ab ipſis prope incunabulis ſeſe produnt, nulloque magiſtro, ſed Naturâ facimus, ſuntque ergo pueris, & adultis, doctis, indoctiſque communia, RATIOCINIA PRIMA, & VULGARIA vocamus.

§. V.

Si cum dato Subjecto Prædicatum conjungimus, vel disjungimus, Aut conjungendum,

dum; vel disjungendum cogitamus, quia horum Extremorum Sufficiens Ratio (I.ª III. §. XIV. ε.) ſimilis eſt Sufficienti Rationi exploratiſſimi alterius Judicii, quod modo Imaginatio excitat ultro (I.ª II.ª §. IX.), vel inveſtigat RATIO (I.ª III.ª §. XIII. β.); RATIOCINAMUR (*ex term.*). Et quia ſimilitudo Rationum eſt Geometris Proportio; A PROPORTIONE, vel ANALOGIA. Quod ſi exploratiſſimi Judicii ratio eſt major alterius ratione; A MAJORI AD MINUS: Si minor; A MINORI AD MAJUS: Si ſimillima; A PARI. Si Subjecta ſint oppoſita; A CONTRARIIS. Si denique ſint hominum Facta, vel DEI, hominum ergo, AB EXEMPLO. In quibus omnibus, dempto A CONTRARIIS, ſæpe unum eſt Subjectum.

A PROPORTIONE. Si in uno Exercitu tot fuerint Imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ: primum nec inſtrui poterit acies, unoquoque periculum recuſante: nec regi facile, aut temperari: quod ſuis propriis conſiliis utantur omnes, quorum diverſitate plus noceant, quam proſint; *SIC* in hoc Rerum Naturæ Imperio, niſi Unus fuerit, ad quem totius ſummæ cura referatur, univerſa ſolventur, & corruent. LACTANCTIUS *I. Inſtit.* 3. *ſub m.*ᵐ *p.* 24. *m. Lipſiæ* 1735. Si in uno corpore tantarum rerum gubernationem Mens una poſſidet, & univerſis ſimul intenta eſt; *CUR* aliquis exiſtimet, Mundum non poſſe ab uno (DEO) regi? LACTANCTIUS *ibid p.*ª 25. A MAJORI AD MINUS. Si DEUS ... proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; *QUOMODO* non etiam cum illo omnia nobis donavit? AD ROMAN. VIII. 31. 32.

32. A MINORI AD MAJUS. Cum tanta vis Juſtitiæ ſit, ut ea etiam Latronum opes firmet atque augeat; *QUANTAM* ejus vim inter Leges, & Judicia in conſtituta Republica fore putamus? II. OFFICIOR. 8. *ſ.ª f.ª* A PARI. In Pictore nulla eſt poteſtas novos producendi colores, illis enim oportet contentum eſſe coloribus, quos Natura ipſi ſuppeditat: at hos ipſos colores multis ille modis miſcere ac temperare, figuraſque, & lineamenta Rerum, quas nuſquam gentium reperias, penicillo adumbrare, humanoque capiti cervicem equinam addere valet. *SIMILI RATIONE* Mens noſtra, quæ Pictorum, & Sculptorum omne genus ſubtilitate vincit, rerum componere novit ſpecies, & figuras nec viſas unquam, nec videndas aliquando: at ſimplices tamen; quibus hæ notiones conſtant, colores reapſe ſunt, & exiſtant in rerum natura neceſſe eſt. CUDWORTHUS *Syſtem. Intellectual. Univerſ. T.º II.º C.º V.º Sect.º I.º §. LXXVI. p.ª* 838. *Jenæ* 1733. A CONTRARIIS, & A PARI. Si Virtutes pares ſunt; paria eſſe Vitia neceſſe eſt... Atqui quoniam pares virtutes ſunt; recte facta, quando a virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent: itemque Peccata, quoniam ex Vitiis manant, ſint æqualia neceſſe eſt. Abſurdum in PARADOXO III. 1. *m.* & *f.* A CONTRARIIS, & A MINORI AD MAJUS. Non ſicut Delictum, ita & Donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt; *Multo MAGIS* Gratia DEI, & Donum in gratia unius hominis JESUCHRISTI in plures abundavit. AD ROMAN. V. 15. AB EXEMPLO, & A MINORI AD MAJUS. Si enim DEUS Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in Judicium reſervari: Et originali Mundo non pepercit.. diluvium Mundo Impiorum inducens: Et Civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens everſione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens.... *MAGIS* eos, qui poſt carnem in con-

concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes. II.ª PETRI II.ª 4. *ad* 10. (*4)

[*4] *Ab Exemplo ratiocinatur OVIDIUS II. Triſt. I. 170. & ſeqq.*

§. VI.

Atque hæc RATIOCINIA (*Ex. ad* §. *V.*), quæ eorum ſunt certe, qui dati Judicii Extrema non inſpiciunt, quique nec doceri, nec docere, ſed delectare velint, aut ſuadere, id quod Rethorum eſt, RETHORICA nominabo. At illa Scripturarum (*Ex.cit.*) Divina.

§. VII.

Si ex dati Judicii Univerſalis (*I.ª III.ª Ex. ad* §. *X.*) Extremorum alterutro (*ib.* §. *IV.*), inſpecto per RATIONEM & evoluto (*ib.*§.*XIII.*), *a priori* quidem, vel *a poſteriori* (*II.ª III.ª Ex. ad* §. *XII.*), Prædicatum aliud extrahimus, & cum altero ex datis Extremo conjungimus, vel disjungimus, Aut conjungendum, vel disjungendum cogitamus; RATIOCINAMUR (*ex term.*). Quod ſi conjunctum jam, vel disjunctum iterum inſpicimus, & evolvimus, ac Prædicatum tertium extrahimus, & cum altero ex Datis Extremo conjungimus rurſum, vel disjungimus, Aut conjungendum, vel disjungendum cogitamus, & ita porro, donec fieri vel per Extrema, vel per RATIONEM poſſit, vel oporteat; FILUM RATIOCINII CONTINUAMUS.

Iu.

Digitized by Google

JUDICIUM UNIVERSALE. Amor eſt ardentiſſimus affectus re amata fruendi. RATIOCINIUM. Quoniam Amor eſt ardentiſſimus affectus re amata fruendi, Ardentiſſimus autem affectus Menti caliginem offundit, Vultûs ſerenitatem obnubilat, Viſcera dilacerat; Amor Menti caliginem offundit, Vultûs ſerenitatem obnubilat, Viſcera dilacerat. CONTINUATIO. Quoniam Amor Menti caliginem offundit, Vultûs ſerenitatem obnubilat, Viſcera dilacerat, Mentis autem, Vultûſque, tenebroſa caligo, Viſcerumque laceratio vires enervat; Amor vires enervat. Quoniam Amor Vires enervat, Virium autem diſſipatio mortem accelerat, h.e. vitam abſumit; Amor mortem accelerat, h.e. vitam abſumit. Aut brevius: Quandoquidem Amor eſt ardentiſſimus affectus re amata fruendi, Ardentiſſimus autem affectus Menti caliginem offundit, Vultûs ſerenitatem obnubilat, Viſcera dilacerat, Mentis porro, Vultûſque tenebroſa caligo, Viſcerumque laceratio Vires enervat, Virium profecto diſſipatio mortem accelerat, h.e. vitam abſumit; Amor vitam abſumit. Quod alias SORITES dicitur, in quo ſcilicet Prædicatum prioris Judicii fit Subjectum poſterioris, & ita prorſus, donec Subjectum primum, ultimumque Prædicatum conjungantur, denique vel disjungantur. Aut breviſſime: Quia Amor eſt ardentiſſimus affectus re amata fruendi, Hic autem Menti caliginem offundit, Vultûs ſerenitatem obnubilat, Viſcera dilacerat; Hæc vero Vires enervant, Id quod vitam abſumit; Amor vitam abſumit. Utinam ita ratiocinarentur profani! JUDIC. UNIV. Tutor, Auctoritate interpoſita, Pupilli Judicium ſupplet. RATIOC. Quia Tutor, Auctoritate interpoſita, Pupilli judicium ſupplet, Adeoque Pupillus, & Tutor pro una perſona agente habentur; expediti Juris eſt Axioma, Tutor Auctor fieri in rem ſuam non poteſt. HEINNECIUS *Elem. Jur.* §. 254. JUDIC. UNIV. Non eſt furandum. RATIOC. Quia furandum minime eſt, Furari autem eſt de alieno impudenter vivere; non eſt

impu-

Digitized by Google

impudenter de alieno vivendum. Et ita porro.

§. VIII.

Si dati Univerſalis Judicii (*I.ª III.ª Ex.ad §.X.*) alterutrum ex Extremis idem ſit, ac alterutrum ex Extremis Judicii cujuſdam alterius, quod vel Imaginatio excitet ultro (I. II.ª §. IX.), vel inveſtiget RATIO (I.ª III.ª §. XIII.ª), Et Dati Extremum alterum cum Hujus altero conjungimus, vel disjungimus, Aut conjungendum, vel disjungendum cogitamus; RATIOCINAMUR [*ex term.*]. Quod ſi conjuncti jam, vel disjuncti alterutrum ex Extremis idem ſit, ac alterutrum ex Extremis explorati Judicii, quod vel Imaginatio rurſum excitet, vel inveſtiget RATIO, Et conjuncti, disjunctive alterum cum Hujus altero conjungimus, vel disjungimus, Aut conjungendum, vel disjungendum cogitamus, ac ita prorſus, donec vel per Extrema fieri, vel per RATIONEM poſſit, vel oporteat; FILUM RATIOCINII CONTINUAMUS.

JUDIC. UNIV. Teſtamenta ex principiis Romanorum ſunt veluti *Leges*. RATIOC. Quia Teſtamenta ex principiis Romanorum ſunt veluti *Leges*, *Leges* autem nonniſi Subditos tenent, Teſtamenta nonniſi Subditos tenent. CONTIN. Quia Teſtamenta nonniſi *Subditos* tenent, *Subditi* autem non ſunt, niſi aut Servi, aut Liberi, aut Voluntarii; Teſtamenta non tenent, niſi aut Servos, aut Liberos, Aut Voluntarios. HEINNECIUS *Elem. Jur.* §. §. 585. 586. JUDIC. UNIV. Nati ſumus

ad

ad honeſtatem. Ratioc. Quoniam nati ſumus ad *Honeſtatem*, *Honeſtas* autem aut ſola expetenda eſt, ut Zenoni, aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, ut Ariſtoteli placet; nati ſumus, ut aut ſola nobis Honeſtas expetenda ſit, aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia. Quia nati ſumus, ut aut ſola nobis Honeſtas expetenda ſit, aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, Quod autem ſolum nobis expetendum eſt, aut certe omni pondere gravius habendum, quam reliqua omnia, eſt aut ſolum, aut ſummum Bonum; nati ſumus, ut aut ſolum nobis expetendum ſit, aut ſummum Bonum. Quandoquidem nati ſumus, ut aut ſolum nobis expetendum ſit, aut ſummum Bonum, Solum autem, aut ſummum Bonum eſt certe Utile; nati ſumus, ut Utile nobis expetendum ſit. III. OFFICIOR. 4. Judic. Univ. Honeſtum eſt Bonum. Ratioc. Quia Honeſtum eſt *Bonum*, *Bonum* eſt Utile; Honeſtum eſt Utile. III. OFFICIOR. 4.

§. IX.

Si data quæcumque, & quotcunque Judicia inter ſe comparamus, hinc inſpicimus Ratione, & evolvimus (I. III. §. XIII. 1.), inde alterius Extrema per inventum univerſalius Extremum conjungimus, aut conjungenda cogitamus, Alterius autem, vel aliorum disjungimus, Aut disjungenda cogitamus; Ratiocinamur. Quod ſi pergamus, quo cœpimus; filum ratiocinii continuamus.

Judicia Universalia: Virtus perficit, Vitium inficit. Ratioc. Quoniam Virtus perficit, Vitium inficit, Quod autem perficit tenendum, Quod inficit vitan-

vitandum; tenenda Virtus eſt, Vitiumque vitandum. Quia tenenda Virtus eſt, Vitiumque vitandum, Liberalitas autem eſt Virtus, Vitiumque Profuſio; tenenda Liberalitas eſt, vitandaque Profuſio, β. Si nihil eſt tam contra Naturam, quam Turpitudo (recta enim, & convenientia, & conſtantia Natura deſiderat, aſpernaturque contraria), Nihilque tam ſecundum Naturam, quam Utilitas; certe in eadem re Utilitas, & Turpitudo eſſe non poteſt. III. OFFICIOR. 4. γ. Et hi aurei plane, ac fere divini CICERONIS Libri, unde ſuam eloquentiam CANUS, qui igitur eſſent Adoleſcentum medullis alte infigendi, in hac potiſſimum RATIOCINATIONE verſantur. Et ARTIS CRITICÆ fundamentum hæc eadem eſt RATIOCINATIO, qua tempora temporibus conferimus, Auctores Auctoribus, Sententiiſque Sententias (*b).

[*b] *Id cernere eſt in PETAVII doctrina Temporum, SCALIGERI 5.o L. &c. Legeſis MABILLONIUM de Stud. Monaſtic. Continuat. 2. Partis C. 13. Paullo aliter CLERICUS praef. Sect. p. 1. & ſeqq.*

§. X.

Atque hæc, paullulum a ſe invicem diverſa, RATIONE tantum, vel ſpeciatim orta (*Ex. ad* §.§. VII. VIII. IX.), RATIOCINIA SCIENTIFICA appellamus (§. III. L. I. & I.ᵃ III.ᵃ §. XVIII. α.). Et hæc HOMINEM faciunt (Not. 30.). Hinc WOLFIUM ego SUMMUM HOMINEM voco, nec Ulla ferent talem ſæcla futura Virum. δ. Quæ autem Scientifica imitantur, PHILOSOPHICA dicemus.

Si enim eſſe DEUM ex animo credimus, Nec aliter, quam fas eſt, de Natura ejus ſentimus; id certe fateamur quoque neceſſe eſt, nullam rerum conditarum neceſſitate quadam Naturæ, ſine DEO, ejuſque auxilio perſiſtere. CUDWORTHUS *Syſtem. Intellect. Univ.* C.ᵉ I.ᵒ §. *XXXVI* p.ᵃ 54.ᵃ m. QUONIAM magna vis Orationis eſt, eaque duplex, altera con-

 ten-

tentionis, altera ſermonis; contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur, ſequatur etiam convivia. I. OFFICIOR. 37. Cum Orationis indicem Vocem habeamus, In Voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis; utrumque omnino a Natura petendum eſt. I. OFFICIOR. 37. Cum in hominibus juvandis aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat; dictu quidem eſt proclive, itaque vulgo loquuntur, ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi. II. OFFICIOR. 15. *Confer Exempla ad* §. IX. *&*. & §. I. L. I., & §. V. L. I. *&c.* & §. XIII. XX. XXXIV. XXXV. *&c. L. I. Confer etiam* HEINNECIUM §. 114. 962. 1024., *&c. Elem. Jur.*

§. XI.

Ratiocinium ergo est judicium ex duobus, eadem extrema habentibus, per univerſalius extremum conjuncta, vel conjungenda, aut disjuncta, vel disjungenda (§. §. II. III. VII. VIII. IX.).

§. XII.

Conſtat itaque Ratiocinium tribus Judiciis, quorum unum univerſalius ceteris, & totidem Extremis, quorum unum Ratio ſufficiens reliquorum (§. XI.).

§. XIII.

Subjectum Ratiocinii dicitur Minus, Præ-

Prædicatum MAJUS; tertium MINORIS, MAJORISque Sufficiens ratio (§. XII.) MAXIMUM EXTREMUM, vel *Medius Terminus*.

§. XIV.

At RATIOCINIUM RETHORICUM (§. VI.) EST JUDICIUM EX JUDICIO, VEL JUDICIIS, OB PROPORTIONEM UTRIUSQUE, VEL OMNIUM (§. V.). PHILOSOPHICUM denique (§. X.) EST IMITATIO SCIENTIFICI.

§. XV.

4.° (§. I.)

Quoniam Ratiocinium eſt Judicium (§. XI.), Judicium autem eſt Intellectûs, non Voluntatis (I.° III.° §. XIX.); Ratiocinium eſt Intellectûs [84], non Voluntatis.

§. XVI.

5.° (§. I.)

Quia Ratiocinium eſt Judicium ex duobus, eadem Extrema habentibus, per Maximum conjuncta, vel conjungenda, aut disjuncta, vel disjungenda (§.§. XI. XII. XIII.);

84. Hinc peracute, ſolideque ratiocinantem, QUADRATI INTELLECTUS, & HOMINEM per eminentiam vocamus. Intelligis adeo vel ex vulgari opinione hebetes non eſſe homines.

ſi priora Judicia ſint VERA (I.ª III.ª §. XXI.); horumque Extrema eadem, ac ultimi, per Maximum *metaphyſice* Universale (II.ª III.ª *Ex. ad* §. XII. **), VERUM eſt Ratiocinium, ac Infallibile (*ex term.*), ut Scientifica (§. X.), ſecus FALSUM, aut falſitati obnoxium, ut Vulgaria quædam (§. IV.). ¶ At Rethorici VERITAS in proportione conſiſtit (§. XIV.). ¶ Tandem Philoſophicum eo VERIUS, quo Scientifico propius, & contra (§. *Cit.* **).

§. XVII.

Quia videlicet Ratiocinium eſt Judicium (§. XI.), Judicium autem aut Affirmativum eſt, aut Negativum (I.ª III.ª §. III.); Ratiocinium aut AFFIRMATIVUM eſt, aut NEGATIVUM. AFFIRMATIVUM porro ab hoc pendet Principio (II.ª III.ª §. XXV.): „ Quæ ſunt eadem, & quomodo uni tertio, ſunt eadem, eoque modo inter ſe „ 85. Si duo igitur Extre-

85. Ita nimirum intelligendum vulgatum antehac Axioma: „ Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe „. Nam ſecus Meus ille Caper idem eſt cum Animali, Homo idem eſt cum Animali; ergo meus ille Caper, & Homo idem ſunt. Stato autem Axiomate, Meus ille Caper idem eſt cum Animali, concedo: Homo idem eſt cum Animali, concedo: ergo meus ille Caper, & Homo idem ſunt; diſtinguo: in Animali, concedo; omnino idem, nego. Erat nempe Sophiſma *a Dicto ſecundum quid ad Dictum ſimpliciter*. Quotquot igitur hoc Principio SS.æ TRINITATIS Dogma convelli putant, hi nec Principium intelligunt, nec Dogma. Scilicet ſic garriunt: Quæ ſunt eadem

Extrema *L*, & *N* ſunt eadem, aut omnimode (quod non raro), aut quodammodo (quod ſæpius) cum *M*; ſunt eadem, aut omnimode, aut quodammodo inter ſe (II.ª III.ⁱ §. LVIII. *ρ*.).

Sint Extrema *NERO*, *INIQUUS*, *MATRICIDA*. Si *NERO*, & *INIQUUS* idem ſint cum *MATRICIDA*, idem ſunt inter ſe. Quod autem *NERO*, & *INIQUUS* idem ſint cum *MATRICIDA*, hoc Ratiocinio detegitur: Quoniam *INIQUUS* eſt, qui contra Naturæ Legem (II.ª III.ⁱ §. XXVIII.) operatur (*per definitionem Iniqui*), *MATRICIDA* autem contra Naturæ Legem operatur (*per notionem Matricidæ evolutam*); *MATRICIDA* eſt *INIQUUS*. Quia *MATRICIDA* eſt *INIQUUS*, *NERO* autem eſt *MATRICIDA* (*per fidem Humanam*, I.ª III.ⁱ §. XVIII. 4.); *NERO* eſt *INIQUUS* (§. VIII.). Nempe Minus Extremum (*NERO*), Majusque (*INIQUUS*) per Maximum (*MATRICIDA*) conjunguntur (§. XIII.). Univerſim igitur, Quoniam *ab* eſt a b, *abc* autem eſt *ab*; a b c eſt a b. Vel, Quoniam *ab* eſt a, *abc* vero eſt *ab*; abc eſt a (I.ª III.ⁱ *Ex. ad* §. X.)

§. XVIII.

Negativum [§. XVII.] ab hoc alio: „ Si duorum, pluriumve alterum idem ſit cum tertio, alterum, vel alia eidem illi repugnent; pugnant inter ſe „. Quare ſi Extre-

morum

eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt iidem tertio, Ergo omnino iidem inter ſe. Suavis Conſequentia! Statuant Axioma: „ Quæ ſunt eadem, & quomodo uni tertio, ſunt eadem; eoque modo inter ſe „. Sed P. F. & S. S. ſunt iidem in Natura, non in Perſonis; ergo ſunt iidem inter ſe quoad Naturam, non quoad Perſonas, h. e. ſunt una eademque Natura, & Tres diſtinctæ Perſonæ.

Digitized by Google

morum *L*, & *N*, *N* idem ſit cum *M*, *N* vero repugnet; *L*, & *N* pugnant inter ſe.

Sint Extrema *ETHNICUS*, *JUSTUS*, *EX FIDE VIVIT*. Si *JUSTUS* idem eſt cum *EX FIDE VIVIT*, *ETHNICUS* autem huic ipſi repugnat; *JUSTUS*, *&* *ETHNICUS* pugnant inter ſe. Quod vero *JUSTUS* idem ſit cum *EX FIDE VIVIT*, at *ETHNICUS* huic ipſi repugnet, hoc Ratiocinio detegitur: Quandoquidem Nullus, nec Revelationi credens, nec Eccleſiæ, *EX FIDE VIVIT* (*per notionem Fidei divinæ evolutam*); *ETHNICUS* autem eſt nec Revelationi credens, nec Eccleſiæ (*per notionem Ethnici evolutam*); *ETHNICUS EX FIDE* non *VIVIT*. Quoniam *ETHNICUS EX FIDE* non *VIVIT*, *JUSTUS* autem *EX FIDE VIVIT*.[AD ROMAN. I. 17. (I.ª III.ⁱ §. XVII.); *ETHNCIUS* non eſt *JUSTUS* (§. VIII.). Nimirum Minus Extremum (*ETHNICUS*), Majuſque [*JUSTUS*] disjunguntur a Maximo [*EX FIDE VIVIT*] [§. XIII.]. Univerſim ergo, Quoniam *a b* non eſt *c d*, *c d e* autem eſt *c d*; *a b* non eſt *c d e* (I.ª III.ⁱ *Ex. ad* §. *X.*).

§. XIX.

Ratiocinium ergo Negativum in Minori, Majorique Extremo, per Maximum, alterutri commune, alteri repugnans, disjunctis poſitum eſt [§. XVIII., *&* *ej. Ex.*].

§. XX.

At Affirmativum in Minori, Majorique Extremo per Maximum, utrique commune, conjunctis poſitum eſt [§. XVII., *&* *ej. Ex.*].

Digitized by Google

§. XXI.

Judicii ergo Affirmativi Rationem ſuffi-cientem, atque veram redditurus [I.[a] III.[i] §. XIV. [b] & §. XIII. [n.]], Sive, quod idem eſt, ſuper Judicio Affirmativo ratiocinaturus (*ibid.* §*XIII.* [f.i.ζ.]), Maximum inveniat Extremum datis commune (§.§. XX. XIII.).

§. XXII.

Negativi Rationem ſufficientem; atque veram redditurus (I.[a] III.[i] §.§. III.XIV.[b] XIII.[n.]); Sive ſuper Judicio Negativo ratiocinaturus (I.[a] III.[i] §. XIII. [f.i.ζ.]), Maximum inveniat Ex-tremum, alterutri ex datis commune, alteri-que repugnans (§. XIX.)

§. XXIII.

Maximum denique inventurus Extremum (§.*XIII.*), inſpiciat, evolvat, conferat Ex-trema data (§.§.*VII.VIII.IX.*)

§. XXIV.

Extremorum tandem Extremum (§.*XIII.*) Nobis Experientia eſt (§.*IV.L.I.*; *I.*[a] *III.*[i] §.*XII.*; *&* Not. 80.). Sed *I.*[m] *IV.*[i] *L.*[i] *P.*[m] expedivimus (§.*I.*).

S. D. G.

S. D. G.

PARS II

PARS II.

DE

SYLLOGISMO *

(*) Parag. 12. Prol.

§. I.

QUÆRENDA ſunt quatuor, 1.° QUID, 2.° QUOTUPLEX, 3.° QUOMODO ORTUS, (II.° III.° §. XIX.), 4.° QUINAM SIT SYLLOGISMI AD VERITATEM RECTUS USUS? (§. XX. L. I.).

§. II.

I.° (§. I.)

SYLLOGISMUS EST RATIOCINIUM MANIFESTUM PROPOSITIONIBUS (*Conſ. Philoſophor.*); ſit adeo Syllogiſmus in ratione compoſita Ratiocinii (I.° II.), & Propoſitionis (II.° III.°).

§. III.

Quoniam Syllogiſmus eſt Ratiocinium mani-

Digitized by Google

manifeſtum Propoſitionibus [§. *II.*], Ratiocinium autem eſt Judicium ex duobus, eadem Extrema habentibus, per Maximum conjuncta, vel conjungenda, aut disjuncta, vel disjungenda (I.ᵃ *H.* §. *XI. ad XIII.*); SYLLOGISMUS EST PROPOSITIO EX DUABUS, EADEM EXTREMA HABENTIBUS, PER MAXIMUM CONJUNCTA, VEL CONJUNGENDA, AUT DISJUNCTA, VEL DISJUNGENDA.

§. IV.

Propoſitio; in qua Maximum, & Majus jacent Extrema, dicitur MAJOR: β. In qua Minus cum Maximo, MINOR, ASSUMPTUM, vel ASSUMPTIO: γ. Utraque (α.β.) PRÆMISSÆ, vel ANTECEDENS: δ. In qua Minus, Majusque per Maximum ſine Maximo, CONSEQUENS: ε. Hujus (δ.) ortus ab Antecedente ſuo (γ.), CONSEQUENTIA: · Utrumque (δ.ε.ε.) CONCLUSIO [85]. η. Minorem (β.) præcedit ATQUI, ϑ. Concluſionem (ζ.) ERGO cum ſynonimis.

85. Oratorum igitur Aſſumptio (*Not.* 75.) MINOR eſt, quæ, quum probatur, fit CONCLUSIO. Si quatuor ergo ex. c. probatur Rationibus (I.ᵃ dII.ᵃ §. XIII. *δ.ε.ζ.*) per dilatata quatuor Maxima Extrema (*Not.cit.*, §. *cit.*, §. III., & I.ᵃ H. §. §. XXI. XXII.), quater redit ASSUMPTUM, & cum eo frequenter Propoſitio Finalis (*Not.cit.*). Quod qui ignorant, ignorant autem plerique, battologiæ Oratorem inſimulant.

§. V.

Conſtat itaque Syllogiſmus Majore, Minore, & Concluſione: ſive Præmiſſis, vel Antecedente cum Conſequente, & Conſequentia (§.*IV.*).

§. VI.

2.° (§.I.)

Quandoquidem Syllogiſmus eſt Ratiocinium (§.*II.*), Ratiocinium autem Affirmativum eſt, vel Negativum, & Affirmativum in Minori, Majorique Extremo per Maximum, utrique commune, conjunctis poſitum eſt, Negativum vero in Minori, Majorique Extremo per Maximum, alterutri commune, alteri repugnans, disjunctis (*I. H.*§.§.*XVII.XX. XIX.*); Syllogiſmus ergo aut Affirmativus eſt, aut Negativus, & Affirmativi Major (§.§.*V.IV.*) componitur ex Maximo Extremo conjuncto cum Extremo Majore, Minor ex Minore cum Maximo, Concluſio Minore, & Majore Extremis per Maximum (§.§.*Cit.*), Negativi Major componitur ex Maximo disjuncto a Majore Extremo, Minor ex Extremo Minore conjuncto cum Maximo, Concluſio Minore, & Majore disjunctis per Maximum (§.§.*Cit.*). Sit adeo Minor in Utroque ſemper Affirmans (II.° III.° §.*VII.*).

Affir-

Affirmativi *Major*: Actio Divinæ Legi (II.ª III.ⁱ §. XXVIII.) diſſentanea Peccatum eſt. [*Minor*] Atqui Uſura eſt Actio divinæ Legi diſſentanea. [*Concluſio*] Ergo Uſura Peccatum eſt. Negativi *Major*: Hoſtis Reipublicæ non eſt ferendus. (*Minor*) Atqui Catilina eſt hoſtis Reipublicæ. (*Concluſio*) Ergo Catilina non eſt ferendus. In Utroque Subjectum Concluſionis eſt *Minus Extremum* (h. e. minus univerſale, vel ſingulare), Prædicatum eſt *Majus*, Quidquid ſupereſt in Præmiſſis eſt *Maximum Extremum*, ac in *Majore* quidem *Propoſitione* Subjectum, in *Minore* Prædicatum, aut contra, aut utrinque Subjectum, aut utrinque Prædicatum, perinde enim eſt. In Affirmativo tandem *Minus*, & *Majus* in *Antecedente* ligata veluti & conſtricta per *Maximum*, ĸ. ligata conſtrictaque eodem omnino modo in *Conſequente* oriuntur. ƛ. At in Negativo divulſa a ſe invicem in *Præmiſſis*, divulſa in *Concluſione* pareant neceſſe eſt (§. IV.).

§. VII.

2.ª 3.ª (§. I.)

Data quacumque Propoſitione, *A*, *E*, *I*, *o*, *I*, *O*, *I-i*, *I-A*, *O-o*, *O-E* (II.ª III.ⁱ §. §. XIV. XIII. XXX. XXXII. XXXIV. XXXV.), Cujus alterutrum ex Extremis (II.ª III.ⁱ §. II.), idem ſit prorſus, ac alterutrum ex Extremis Dicti De Omni, vel De Nullo (II.ª III.ⁱ §§. XV. XVI.), quod modo vel Imaginatio excitat ſponte (I.ª II.ⁱ §. IX.), vel inveſtigat Ratio, (I.ª III.ⁱ §. XIII. ᶣ), Si Dictum ponatur pro Majore Propoſitione, alterum Datæ Extremum conjunctum cum altero excitati,

 in-

Digitized by Google

inventive DICTI pro Minore, Data demum pro Concluſione; oriuntur *SYLLOGISMI* quicumque, *AAA*, *EAE*, *Aii*, *Eio*, *AII*, *EIO*, *AI-i I-i*, *AI-AI-A*, *EI-i O-o*, *EI-A O-E* (§. III. *ad* VI. *&* §. §. *Cit.*).

Detur *A*, ſitque: Omne Honeſtum eſt *Utile*. DICTUM DE OMNI, Imaginatione excitatum, inventumve Ratione, ſit: Omne Juſtum eſt *Utile*. DICTUM fiat Major; Datæ, DICTIque Extrema diverſa conjungantur, fiantque Minor; Data tandem fiat Concluſio, oritur *A A A*. Nimirum: Omne Juſtum eſt Utile, Sed Omne Honeſtum eſt Juſtum; Ergo Omne Honeſtum eſt Utile (*a). Data videlicet Propoſitio abiit in Concluſionem Syllogiſmi Univerſalis Affirmativi. Detur *E*, ſitque: Nullus Homo in hac Terra *Beatus*. DICTUM DE NULLO, Nullus Homo, Intuitiva DEI Viſione carens, eſt *Beatus* (II.[a] III.[i] §. XL. *a.*). DICTUM fiat Major; Datæ, DICTIque Extrema diverſa conjungantur, fiantque Minor Affirmans (§. VI *i.*); Data denique fiat Concluſio, oritur *E A E*. Nimirum: Nullus Homo, Intuitiva DEI Viſione carens, eſt Beatus, Sed Omnis Homo in hac Terra eſt Intuitiva DEI Viſione carens; Ergo nullus Homo in hac Terra Beatus. Data videlicet Propoſitio abiit in Concluſionem Syllogiſmi Univerſalis Negativi. Detur *i*, ſitque: CHRISTUS eſt *Meſſias*. DICTUM DE OMNI, *Meſſias* eſt HOMO-DEUS, a DEO divinitus miſſus ad hominum ſalutem, & a Prophetis in Veteri Teſtamento prædictus. Ceteris, ut ſupra, diſpoſitis, oritur *Aii*. Nimirum: Meſſias eſt HOMO-DEUS, a DEO divinitus miſſus ad hominum ſalutem, & a Prophetis in Veteri Teſtamento prædictus, Atqui CHRISTUS eſt HOMO-DEUS, a DEO divinitus miſſus ad hominum ſalutem, & a Prophetis in Veteri Teſtamento prædictus; Ergo CHRISTUS eſt Meſ-

[*a] *Cic. II. Offıcior. 1. ſ.*

Digitized by Google

Meſſias. Data ſcilicet verſa eſt in Concluſionem Syllogiſmi Singularis Affirmativi 86. Detur *o*, ſitque: PIUS VI. non eſt Antichriſtus. Dictum De Nullo, Nullus JESUCHRISTI Vicarius eſt Antichriſtus. Reliquis, ut ſupra, diſpoſitis, oritur *Eio*. Nimirum: Nullus JESUCHRISTI Vicarius eſt Antichriſtus, Atqui PIUS VI. eſt JESUCHRISTI Vicarius; Ergo PIUS VI. non eſt Antichriſtus. Data ſcilicet verſa eſt in Concluſionem Syllogiſmi Singularis Negativi. Detur *I*, ſitque: Aliqui in Orbe ſunt Avari. Dictum De Omni, Omnes, percupidi plura acquirendi, quam quæ & ad vitam honeſte tranſigendam requiruntur, & pro conditione noſtra acquiri poſſunt, ſunt Avari (II.a III.i §. XL. n. [*b]). Reliquis de more diſpoſitis, oritur *AII*. Nimirum: Omnes, percupidi plura acquirendi, quam quæ & ad vitam honeſte tranſigendam requiruntur, & pro conditione noſtra acquiri poſſunt, ſunt Avari, Sed Aliqui in Orbe ſunt percupidi plura acquirendi, quam quæ & ad vitam honeſte tranſigendam requiruntur, & pro conditione noſtra acquiri poſſunt; Ergo Aliqui in Orbe ſunt Avari. Data ſcilicet abiit in Concluſionem Syllogiſmi Particularis Affirmativi. Detur *O*, ſitque: Aliqua Scripta non ſunt Famoſa. Dictum De Nullo, Nulla Scripta, in alterius contumeliam tecto Nomine minime edita, ſunt famoſa (II.a III.i §. XL. n. (*c)). Fiant cetera de more, oritur *EIO*. Nimirum: Nulla Scripta, in alterius contumeliam tecto nomine minime edita, ſunt Famoſa, Sunt autem Aliqua Scripta, in alterius contumeliam tecto nomine minime edita; Aliqua igitur Scripta non ſunt Famo-

(*b) *BAUMEISTER. T. IV. def. 1068. p. 185. ſ.*

[*c] *BAUMEISTER. T. IV. Def. 1206. p. 193. ſ.*

86. Auctori Artis Cogitandi *P.e II.a C.e IX.o Ex.o I.o ſ.e Verſionis Italicæ p.a* 206.a ſ.a ſ.m hic Syllogiſmus: Reges ſunt colendi, Ferdinandus IV. eſt Rex; ergo Ferdinandus IV. eſt colendus, eſſe dicitur *AAA*. Senſu tamen mutilatus ſit oportet, qui non viderit, hunc Syllogiſmum eſſe *Aii*.

Digitized by Google

Famoſa. Data ſcilicet verſa eſt in Concluſionem, Syllogiſmi Particularis Negativi. Detur *I-i*, ſitque: Quam pauci Philoſophi! Dictum De Omni, Quicunque rationem reddere queunt eorum, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt, ſunt Philoſophi (§. XIII. L. I.), At quam pauci rationem reddere queunt eorum, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt! Ergo quam pauci Philoſophi! Quod eſt *A*, *I-i*, *I-i*. Data ſcilicet abiit in Concluſionem Syllogiſmi Sub-Particularis Affirmativi. Detur *I-A*, Fere Omnes Mendaces. Dictum De Omni, Omnes, quorum Propoſitiones Judiciis non conſonant ſuis, ſunt Mendaces (II.ª III.ⁱ §.LXI.), Atqui fere omnes ii ſunt, quorum Propoſitiones Judiciis non conſonant ſuis; Ergo fere omnes Mendaces. Quod eſt *A*, *I-A*, *I-A*. Data ſcilicet verſa eſt in Concluſionem Syllogiſmi Sub-Univerſalis Affirmativi. Detur *O-o*, Vix aliqui ſceleroſis hujus Mundi illecebris non pertrahuntur! Dictum De Nullo, Nulli, DEO Charitate conjuncti, ſceleroſis hujus Mundi illecebris pertrahuntur, At vix aliqui ſunt DEO Charitate conjuncti; Ergo vix aliqui ſceleroſis hujus Mundi illecebris non pertrahuntur! Quod eſt *E*, *I-i*, *O-o*. Data ſcilicet abiit in Concluſionem Syllogiſmi Sub-Particularis Negativi. Detur *O-E*, Nulli propemodum quærunt quæ JESUCHRISTI. Dictum De Nullo, Nulli, quærentes quæ ſua ſunt, quærunt quæ JESUCHRISTI, Sed omnes propemodum quærunt quæ ſua ſunt; Ergo Nulli propemodum quærunt quæ JESUCHRISTI. Quod eſt *E*, *I-A*, *O-E*. Data ſcilicet verſa eſt in Concluſionem Syllogiſmi Sub-Univerſalis Negativi. Dentur *A*, & *I-i*, Omnes vocati, Pauci vero Electi. Dictum De Omni, Ss.ⁱ JESUCHRISTI Sanguine redempti, ejuſque Gratia ſuffulti, & ad Gloriam pertinentes ſunt vocati, & Electi, Sed Omnes ſunt Ss.ⁱ JESUCHRISTI Sanguine redempti, ejuſque Gratia ſuffulti, Pauci vero ad Gloriam pertinentes; Ergo Omnes ſunt vocati, Pauci vero Electi. Quod eſt *A*, *A I-i*, *A I-i*.

r. Quia vero hiſce Syllogiſmis utitur SCHOLA, SCHOLASTICI vocabuntur.

§. VIII.

Si in quocumque Syllogiſmo (§. VII.) alterutra Præmiſſarum deſit (§. IV.), oritur ENTHYMEMA [*Philoſophor. Conſ.*].

Mens eſt Spiritus; Ergo Simplex. Cogito; Ergo ſum. Omnis homo poteſtatibus ſublimioribus ſubditus ſit; Ergo & Tu. *s*. Quas ego Conſequentias (§. IV. *t*.) *Immediatas* appello (*d). Conſequens enim (§. *cit. t*.), fere nullo ducente, ſubito, ac ultro, & virtute plenum ab Antecedente manat. 87.

(*d) *At aliter* VVOLFIUS *Parag.* 445. *& ſeqq. Log.*

§. IX.

Quoniam in Majore Majus eſt Extremum, in Minore Minus (§. IV. *a. b.*), in Enthymemate autem Major deeſt, vel Minor (§. VIII.); Major deeſt, ſi Majus, Minor, ſi Minus Extremum deſit. Quum autem Minus, & Majus in Concluſione jaceant, Maximum in Præmiſſis (§. IV. *c. c.*); ex Concluſione, & Præmiſſa, utrum deſit, intelligitur. At deſit oportet intellectu facilius.

Mens

87. Splendidioribus Oratoribus, ſubtilioribuſque *Scholaſticis* frequentiſſimum eſt ENTHYMEMA. At illis ornate. His autem nude. Illis enim cum Voluntate res eſt, & Populo. His cum Intellectu, & Eruditis. Inter priores Orator Græcus. Inter poſteriores excellere vidi ſtrenuum *Scotiſtam*, in Metaphyſicis, ac Theologicis Diſciplinis attritum, PHILIPPUM A LEOCATA, Fratrem noſtrum.

Digitized by Google

Mens eſt Spiritus; Ergo Simplex (*Ex. ad* §. VIII.). Nimirum *A A A*, Omnis Spiritus eſt Subſtantia Simplex (§ XXIV. L. I.), Sed omnis Mens eſt Spiritus (§. XXVIII. L. I.); Mens igitur omnis eſt Subſtantia Simplex (§. VII. *&* *ej.Ex.*). Deerat ergo Major. Cogito; Ergo ſum (*Ex. ad* §. VIII.). Nimirum: Omnis Cogitans eſt, Sed ego ſum Cogitans (II.ª III.ⁱ *Ex.ad* §. XXXVIII. ρ.); Ergo ego ſum. Quod eſt *A i i* (§. VII. *&* *ej.Ex.*). Deerat ergo Major. Omnis Homo poteſtatibus ſublimioribus ſubditus ſit. Ergo Tu (*Ex. ad* §. VIII.). Nimirum: Omnis Homo poteſtatibus ſublimioribus ſubditus ſit, Atqui Tu es Homo; Ergo & Tu poteſtatibus ſublimioribus ſubditus eſto. Quod eſt *A i i* (§. VII. *&* *ej. Ex.*). Deerat ergo Minor.

§. X.

Ratiocinium rethoricum (I.ª *H.*§.VI.), enthymematica forma prolatum (*Ex.ad* §.VIII.),vehemens eſt, & argutum (*Ex.ad* §.*Cit.* ν.).

Animantia quid agendum illis ſit, quidve vitandum Natura docet. Ergo magis Homines quid agendum illis ſit, quidve vitandum Natura docet. ξ. At nego, diceret quis, Conſequentiam (§. IV. ι.). Ideo enim Animantia quid agendum illis ſit, quidque vitandum Natura docet, quia præter Naturam doctorem habent neminem. Homines autem habent Homines, Hominumque Primus DEUM. o. Et hæc Enthymemata (*Ex. ad hunc* §.; I.ª II.ⁱ §.XXXVIII.II.ª II.ⁱ §. VII.α.) RETHORICO-SCHOLASTICA (*Ex. ad* §. VII. μ.): π. Superiora illa(I.ª *H. Ex.ad* §.V.) RETHORICO-PHILOSOPHICA. Nam *Scholaſtica* interponuntur, & Oratoria.

§. XI.

Quum Enthymematis Concluſio præponi-

nitur Antecedenti (§§. VIII. IV.), eſt *Inverſum*.

Cynicorum ratio tota eſt ejicienda; eſt enim inimica Verecundiæ (*e). Nimirum: Cynicorum ratio eſt inimica Verecundiæ. Ergo tota ejicienda (*Ex. ad* §. VIII.). † *Inverſi* igitur Enthymematis indicia ſunt *ENIM*, *ETENIM*, *NAMQUE*, *&c.* (*e) *CIC. I. offic. 41. ſ. ſ.*

§. XII.

Si in quocumque Syllogiſmo (§. VII.) præter Rationem Sufficientem Concluſionis adſit Ratio Sufficiens Præmiſſarum (§. IV., & I. III. §. XIV. †.), oritur EPICHIREMA. • Quod preſſum, SCHOLASTICUM eſt: •• Ornatum, atque diffuſum, ORATORIUM: ••• Intermedium denique, PHILOSOPHICUM, quod eſt identidem *Inverſi* Enthymematis continuatio (§. XI.).

SCHOLASTICUM. Spiritus eſt Incorruptibilis: Etenim caret Partibus, in quas reſolvi poſſit: Eſt enim Subſtantia Simplex. Atqui Mens eſt Spiritus: Eſt enim Subſtantia, Intellectu, & Voluntate prædita. Ergo Mens eſt Incorruptibilis. PHILOSOPHICUM. Cives potiores, quam peregrini, & propinqui, quam alieni. Cum his *ENIM* Amicitiam Natura ipſa peperit. Sed ea non ſatis habet firmitatis. *NAMQUE* hoc præſtat Amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex Amicitia autem non poteſt. Sublata *ENIM* benevolentiâ Amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet (*f). Hæc lex in Amicitia ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis *ENIM* excuſatio eſt, & minime accipienda cum in ceteris peccatis, tum ſi quis (*f) *CIC. in Lel. V. ſ. ſ.*

Digitized by Google

quis contra Rempublicam ſe amici cauſſa feciſſe fateatur. *ETENIM* eo loco Fanni, & Scævola, locati ſumus, ut nos longe proſpicere oporteat futuros caſus Reipublicæ. Deflexit *ENIM* jam aliquantulum de Spatio, curriculoque conſuetudo Majorum, *&c.* (*g). Cum omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa (tollit *ENIM* judicium Veri, idque adulterat), tum Amicitiæ repugnat maxime. Delet *ENIM* Veritatem, ſine qua nomen Amicitiæ valere non poteſt. *NAM* cum Amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus; qui fieri id poterit, ſi ne in uno quidem unus animus erit, idemque ſemper, ſed varius, commutabilis, multiplex? Quid *ENIM* poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo ſenſum, ac voluntatem, ſed etiam vultum, atque nutum convertitur? (*h).

(*g) *CIC. ibid. XII.*

(*h) *CIC. ibid. XXV.*

§. XIII.

Quoniam in Syllogiſmo Ratio Sufficiens Concluſionis eſt Maximum Extremum (§. II., & I.ᵃ II. §. §. XII. XIII.), in Epichiremate autem præter Rationem Sufficientem Concluſionis adeſt Ratio Sufficiens Præmiſſarum (§. XII); in Epichiremate totuplex eſt Maximum Extremum, quotuplex Ratio Sufficiens Præmiſſarum præter Rationem Sufficientem Concluſionis. Quot ſunt ergo Maxima Extrema, tot cum Præmiſſarum Extremis fieri poſſunt Syllogiſmi (§. §. IV., & VII.), vel Enthymemata (§. VIII.).

(I.ᵘᵐ) ✠ Spiritus eſt Incorruptibilis: (II.ᵘᵐ) Quodcumque enim caret partibus, in quas reſolvi poſſit, eſt

eſt Incorruptibile, ✠✠. Spiritus oppido caret partibus, in quas reſolvi poſſit (Ergo ✠.): (III.^tio^) Omnis profecto Subſtantia Simplex caret partibus, in quas reſolvi poſſit, Et Spiritus certe eſt Subſtantia Simplex (Ergo ✠✠.). Atqui ✠✠✠. Mens eſt Spiritus, (IV.^to^) Nam omnis Subſtantia Intellectu, & Voluntate prædita eſt Spiritus, Et Mens equidem eſt Subſtantia Intellectu, & Voluntate prædita (Ergo ✠✠✠.). Ergo Mens eſt Incorruptibilis.

Aut. Spiritus eſt ✠. Incorruptibilis: (I.^m^) Etenim ✠✠. caret partibus, in quas reſolvi poſſit (Ergo ✠.): (II.^m^) Eſt enim Subſtantia Simplex (Ergo ✠✠.). Atqui Mens eſt ✠✠✠. Spiritus: (III.^m^) Nam eſt Subſtantia Intellectu, & Voluntate prædita (Ergo ✠✠✠.). Ergo Mens eſt Incorruptibilis. ✠. Epichiremata igitur *Philoſophica* ſunt non multum a *Scholaſticis* diſſidentia (§. XII. *ſ. v., & ej. Ex.*).

§. XIV.

Quia Syllogiſmus eſt in ratione compoſita Ratiocinii, & Propoſitionum (§. II.); data quacumque Propoſitione, Simplici, Complexa, Compoſita, Modali (II.^æ^ III.^i^ §.XXXIX. *ad* LVIII.), & dato ſuper eam Ratiocinio (I.^æ^ II. §. XI. *ad* XIV.), oritur quicunque Syllogiſmus, SIMPLEX, COMPLEXUS, COMPOSITUS, MODALIS, Enthymematicus etiam, vel Epichirematicus (§. §. VIII. XII.).

§. XV.

Si data igitur Propoſitio (§. XIV.) ſit exempli cauſſa DISJUNCTIVA (II.^æ^ III.^i^ §.XLIV), vel DIVISIO (II.^æ^ III.^i^ §. XVIII. ✠), fiatque

Ma-

Major, ejuſque membrum alterum conjungatur cum dato per Imaginationem, vel Rationem Subjecto (L.ᵉ II.ᵉ §. IX., & L.ᵉ III.ᵉ §. XIII. i.), fiatque Minor, Membrum alterum, vel alia disjungantur ab illo eodem Subjecto in Concluſione, aut contra; oritur Syllogiſmus (§. V.) DISJUNCTIVUS. Quandoquidem enim in Propoſitione DISJUNCTIVA, vel DIVISIONE Membra ſunt oppoſita; cuicunque Subjecto alterutrum congruit, alia repugnent, & contra cuicunque alterutrum repugnat, vel alia, alterum congruat neceſſe eſt.

Quæcunque homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honeſtandum, AUT benevolentiæ gratia tribuunt, cum aliqua de cauſſa quempiam diligunt; AUT honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, eumque dignum fortuna quam ampliſſima putant; AUT cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur; AUT cujus opes metuunt; AUT contra a quo aliquid expectant, ut cum Reges, popularesve homines largitiones aliquas proponunt; AUT poſtremo pretio ac mercede ducuntur, quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio, & inquinatiſſima & iis, qui eâ tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur: male enim ſe res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia (*i). Atqui quæcumque Simoniaci homines homini venali tribuunt ad eum augendum, atque honeſtandum, NON benevolentiæ gratiâ tribuunt; NON honoris; NON cui fidem habeant; NON cujus opes metuant, AUT contra aliquid expectent, ut cum Reges, popularesve homines largitiones aliquas proponunt. Ergo PRETIO, ac mercede ducuntur. Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius & poteſtati pluribus de cauſſis. Ducuntur

(*i) CIC. II. Offic. 4.

tur enim Aut benevolentia; Aut beneficiorum magnitudine; Aut dignitatis præſtantia; Aut ſpe ſibi id utile futurum; Aut metu, ne vi parere cogantur; Aut ſpe largitionis, promiſſiſque capti; Aut poſtremo mercede conducti (*k). Atqui Famulantis turba ſubjicit ſe alterius imperio & poteſtati mercede conducta. Ergo Non benevolentia; Non beneficiorum magnitudine; Non dignitatis præſtantia; Non ſpe ſibi id utile futurum; Non metu; Nec ſpe largitionis, promiſſiſque capta.

(*k) *Cic. II. Offic.* 4.

§. XVI.

Huc itaque ſpectant (§. XV., & *ej. Ex.*) ✕. INDUCTIO, ✝. & quem non ſcite COPULATIVUM vocant.

(✕.) Phœnix Non eſt in Europa, Non in Aſia, Non in Africa, Non in America; Ergo in toto Globo Terraqueo non eſt (§. VIII.).

(✝.) Non poteſtis DEO ſervire, & Mammonæ (*l). Vos autem Avari ſervitis Mammonæ. Ergo non poteſtis DEO ſervire. Licet enim Major ob particulam Et ſit Copulativa (II.æ III.i §. XLIII.), ob Membrorum autem oppoſitionem eſt Disjunctiva (II.æ III.i §. XLIV.). Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Aut Enim unum odió habebit, & alterum diliget. Aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet (*m). Quod eſt Enthymema *Inverſum* (§. XI. & ej. *Ex.* 1.), & Disjunctivum (§§. XIV, XV.).

(*l) *Matth. VI* 24.

(*m) *Matt. VI.* 24.

§. XVII.

Si data Propoſitio (§. XV.) ſit Hypothetica (II.æ III.i §. XLVII.), ſiatque Major, ejusque prior Pars conjungatur cum dato, vel

 per

per Imaginationem excitato (I.ⁱ II.ⁱ §. IX.), vel invento per Rationem Subjecto (I.ⁱ III.ⁱ §. XIII. ·), fiatque Minor, Pars vero poſterior conjungatur cum illo eodem Subjecto in Concluſione, aut tum in Concluſione, quum in Minore disjungatur; oritur Syllogiſmus (§. V.) HYPOTHETICUS. Quandoquidem enim Propoſitionis HYPOTHETICÆ pars altera erumpit ab altera; cui altera congruit, vel repugnat, repugnat etiam, vel congruit altera.

(*n) I. AD TIMOTH. VI. 3. 4.

(*o) CONC. TRID. Seſſ. VI. Can. 10.

SI quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri JESUCHRISTI, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ; SUPERBUS eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum (*n). Sed Hæreticus aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri JESUCHRISTI, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ. Ergo Hæreticus SUPERBUS eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum. SI quis dixerit, homines ſine CHRISTI Juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam formaliter Juſtos eſſe; ANATHEMA SIT (*o). Atqui *Pſeudo-Reformatus* dicit, homines per eam ipſam CHRISTI Juſtitiam formaliter Juſtos eſſe. Ergo *Pſeudo-Reformatus* ANATHEMA SIT. ". Et hi quidem SCHOLASTICI (*Ex. ad* §. *VII.* μ.). ". Hic autem PHILOSOPHICUS: SI etiam hoc Natura præſcribat, ut homo homini, quicumque ſit, ob eam ipſam cauſſam, quod his homo ſit, conſultum velit; Neceſſe eſt ſecundum eandem Naturam omnium Utilitatem eſſe communem. Quod SI ita eſt; Una continemur omnes, & eadem Lege Naturæ. Idque ipſum SI ita eſt; Certe violare alterum Lege Naturæ prohibemur. Verum

rum autem primum; verum igitur & extremum (*p). Qui in illius imitatione (*.) conſiſtit. Nimirum: Si etiam hoc Natura præſcribit, ut homo homini, quicumque ſit, ob eam ipſam cauſſam, quod is homo ſit (II.ª III.ª §. XLVI.), conſultum velit; Necesse eſt ſecundum eandem Naturam omnium Utilitatem eſſe communem, & una ergo contineri omnes, & eadem Lege Naturæ, adeoque violare alterum Lege Naturæ prohiberi (*Ex. ad* §. VIII. ª.). Atqui etiam hoc Natura præſcribit, ut homo homini, quicumque ſit, ob eam ipſam cauſſam, quod is homo ſit, conſultum velit. Ergo Necesse eſt ſecundum eandem Naturam omnium Utilitatem eſſe communem, & una ergo contineri omnes, & eadem Lege Naturæ, adeoque violare alterum Lege Naturæ prohiberi.

(*p) *Cic. III. Offi- cior. 2. f.*

§. XVIII.

Si Disjunctivus, & Hypotheticus (§. §. XV. XVII.) ita coaleſcant, ut acerba utrinde incommoda pariant; oritur DILEMMA (*Philoſophor. Conſ.*).

Interrogabo vos (dixit olim Phariſæis CHRISTUS, h. e. Tenebris Lux) unum ſermonem: quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Joannis unde erat? E Cœlo Ne, An ex hominibus? At illi cogitabant inter ſe, dicentes: Si dixerimus, e Cœlo; dicet nobis, quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus; timemus Turbam, omnes enim habebant Joannem, ſicut Prophetam. Et reſpondentes JESU dixerunt, neſcimus. Ait illis & ipſe: nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio (*q). DILEMMATE nempe tranſverberatos dimiſit. Qui alterum violat, ut ipſe aliquid commodi conſequatur, Aut nihil ſe exiſtimat contra Naturam facere, Aut ma-

(*q) *Matth. XXI. 24. ad 27.*

magis fugiendum cenſet mortem, paupertatem, dolorem, amiſſionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuipiam injuriam. Si nihil exiſtimat contra Naturam fieri in hominibus violandis, quid cum eo differas, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem cenſet, ſed & multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem; errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium animi vitiis gravius exiſtimat (*r). Demum EMPIRICUS *adverſ. Mathemat. L. III.* Quæ poſtulas, inquit, Vel fieri poſſunt, Vel non poſſunt. Si fieri poſſunt; cur jure tuo non uteris, & quæ vi obtinere poteras, precibus impetrare? Si fieri non poſſunt; cur iniqua poſtulas, & tibi a me concedi vis, quod nec in mea, nec in tua poteſtate eſt? (*s). Geometræ ſolent, cum CICERONE reſpondeo (*t), non omnia docere, ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, quo facilius, quæ velint, explicent.

(*r) CIC. III. Officior. 2. ſupra ſ.

(*s) *Apud HUET Demonſtr. Evang. ad Ax. IV. n. 2. p. 25. 26. T. I.*

(*t) *III. Officior. 3. ſ. f.*

§. XIX.

Si Ratiocinium Vulgare (I. H. §. IV.) fiat manifeſtum Propoſitionibus; oritur Syllogiſmus VULGARIS (§. II.), cujus ordine, ſcilicet inverſo, etiam Oratores utuntur. Si Philoſophicum (I. H. §. X. δ.), PHILOSOPHICUS (§. II. & §. XII. γ. & *Ex. ad* §. XVII. α.). Si Scientificum (I. H. §. X.); SCIENTIFICUS (§. II.), h.e. Theorema, vel Problema (II. III. §. XXII.). β. Ejus autem Continuatio (I. H. *Ex. ad* §. §. VII. VIII. IX.) SINTHESIS eſt, vel SORITES. γ. Continuatio Scholaſtici (*Ex. ad* §. VII. ε., §. XII. ι., *Ex. ad* §. XVII. κ.) ANALYSIS. Hæc nimirum per

Maximum Extremum (§. III.) ad Univerſalia aſcendit. Deſcendit vero ab Univerſalibus Syntheſis. Hæc igitur Docentium eſt, Analyſis Invenientium. 4. Noſtros itaque in circulis, vel litteraria palæſtra adverſarios, ut hæreticam pravitatem verbo, & ſcripto detegere, & conterere diſcamus, Analyſi, acris Ingenii filia, ſed brevi illa & enthymematica (§. VIII.), tanquam venenoſâ ſagittâ, confodimus. 5. Quod ſi illos eoſdem ſuis refutamus Principiis (II.ª III.ⁱ §. XXV.), *ad Hominem* ratiocinantes (ſic enim loquuntur); gladio jugulamus ſuo. Germanicum, Gallumque, nobiliſſimos alioqui Philoſophos, longeque Principes, *ad Hominem* cum GIUFFRIDA refellimus, & GAMBINO (*Not.* 16. 21. 23. 51. 74. 79. *&c.*). 6. Totum hoc Opus qualecunque, Syntheticum eſt, ſcilicet Syſtema (II.ª III.ⁱ §. XXVI.). At Syntheſim Analyſis peperit diurna, nocturna, diuturna. 7. Sed Analyſeos, & Syntheſis Exempla dabimus extremo Libro. 8. Quum denique Operis in ejuſdem Principia reſolutio dicatur etiam *Analyſis*; *Analyſis* eſt, quam legis II.ª III.ⁱ *Ex. ad* §. XVII. *ad* XXVI.

§. XX.

4.° (§. I.)

Quoniam Syllogiſmus eſt Propoſitio ex dua-

duabus, eadem Extrema habentibus, per Maximum conjuncta, vel conjungenda, aut disjuncta, vel disjungenda (§. III.); ſi duæ priores ſint VERÆ (II.a III.i §. LIX.), harumque Extrema eadem, ac ultimæ, per Maximum, quod ſit DICTUM DE OMNI, vel DE NULLO (II.a III.i §.§. XV. XVI), Principia videlicet Certa & immota (II.a III.i §. XXV. *&* *ej. Ex. & §. IV. L. I.*), Certus immotusque & VERUS eſt Syllogiſmus (*ex term.*), ejusque Concluſio (§. IV. [2.]) DEMONSTRATIO. [5] Sit adeo DEMONSTRATIO, Propoſitionis ex Principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam illatio (§. *cit.* [1.], *&* §.§. III. *&* IV. L. I.). [6] Si Demonſtratio nitatur Experientiâ (I.a III.i §. IX.), dicitur *A Poſteriori*, vel *phyſica*: Si Ratione (I.a III.i §. XIII. [2.]), *A Priori*, *metaphyſica*, vel *mathematica*: Si utraque, *mixta*: Si demum Auctoritate (I.a III.i §.§. XVI. XVII.), *moralis*.

§. XXI.

Quum porro Veritas propoſitionis cujuscunque ob falſitatem contradictoriæ (II.a III.i §. LX.), vel ob proportionem cum vera (*Ex. ad* §. X.) non ſit ex Principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam illatio (*ex term.*), non eſt Demonſtratio (§. XX. [1.]),

§. XXII.

§. XXII.

Quæ ergo Philoſophis Demonſtratio *directa*, vel *oſtenſiva* dicitur, nobis Demonſtratio eſt ſine adilitamento (§. XX.), & hujus exempla ſunt cum Theorematis Problemata (II.ª III.ⁱ §. XXII, & *Not.* 78.). At quæ *Indirecta*, vel *Apogogica* (*a*), h.e. ex abſurdo alias prodeunte, cujus exhibent exempla §.ᵘˢ VIII.ᵘˢ Libri I.ⁱ, & Axioma 14.ᵘᵐ, & Propoſitio 8.ª, & 14.ª L.ⁱ I.ⁱ Euclidis, manifeſtatio abſurdi ſatius, quam Demonſtratio dicenda. Hinc ipſe Tacquetus Propoſitiones reliquas concludit vocabulis *Quod erat demonſtrandum*; non ita tamen 8.ᵃᵐ, & 14.ᵃᵐ I.ⁱ, ſimileſque nonnullas.

(*a*) *VVOLF. Parag. 551. & ſeqq. Log.*

§. XXIII.

Quandoquidem in Syllogiſmo tria ſunt Extrema (§. IV.); ſi quando, ob ignorantiam ratiocinantis, vel nequitiam, Maximum Extremum (§. *Cit.*) ſit terminus æquivocus (II.ª II.ⁱ §. XXIV.), & in alterutra Præmiſſarum (§. IV.) unam, in altera aliam exprimat ideam, hinc itaque quatuor Extrema ponantur, PARALOGISMUS eſt, vel SOPHISMA, quod hîc *Æquivocationis* dicitur.

Omne, quod non eſt *ex Fide*, Peccatum eſt (*u).
Sed omne Infidelium opus non eſt *ex Fide* 88. Ergo omne

[*u] *AD ROMAN. XIV. 23. Poteſt autem de hac propoſitione dici, quod de Hypothetica diximus in demonſtratione Paragr. 87.*

88. Sed omne opus Infidelium eſt opus non ex Fide.

Minor

§. XXIV.

Quoniam Syllogiſmus eſt Ratiocinium (§. II.), Super dato autem Judicio ratiocinaturus Maximum Extremum inveniat opus eſt (I.ª H. §. §. XXI. XXII.); Qui ergo non invenerit, licet ipſi jam inveniſſe videatur, *petere Principium* dicitur. Quo Sophiſmate PURCHOTIUM notavimus (I.ª III.ʲ §. XX. ſ.), CUDWORTHIUMque MOSHEMIUS (*b*).

§. XXV.

Quum eodem omnino modo Majus, & Minus ligata, vel divulſa pareant in Concluſione oporteat, ac ligata per Maximum, vel divulſa in Antecedente fuere (*Ex. ad* §. *VI.* ſ.); Si aliquatenus ergo ligata per Maximum, vel divulſa in Antecedente fuerunt, omnimode autem ligata, vel divulſa in Concluſione oriuntur (II.ª III.ʲ §. LVIII. r.), PARALOGISMUS eſt *A Dicto ſecundum quid ad Dictum ſimpliciter* (Not. 85., *at priore ex duabus, typographico errore iteratis*).

§. XXVI.

Quia Syllogiſmus eſt Ratiocinium (§. II.), Super dati autem Judicii Extremis Maximo ratiocinamur Extremo (I.ª H. §. §. XXI. XXII.); Si ſuper Maximo Extremo iterum per data ratiocinamur, *Circulum* committimus (*c*).

(*b*) Not. 3. in Pag. 37. Capitis I. Syſt. Intell. Univ. T. I.

(*c*) *Minutiora reliqua Sophiſmata perſequutus eſt* BAUMEISTERUS *Log. Par. 342., & ſeqq. & Fraſſen Log. Q. ultima.*

Ponit hoc CARTESIUS: Utrum in illis rebus, quas clare ac diſtinctè percipio, fallar, nec ne, id ante ſcire nequeo, quam eſſe eum, qui me condidit, talem intelligam; ut me decipere, ac fallere nolit. Jam vero ſi pergat aliquis, & ſciſcitetur: unde igitur eſſe cauſſam aliquam cognoſcere mihi licet, quæ me condidit, eamque ab omni Voluntate fallendi alienam? Reſpondet Philoſophus ex eo, quod clare ac diſtincte, dum in me ipſum deſcendo, percipio, non poſſe non eſſe talem Naturam. Cogito nimirum; ergo ſum. Si ſum; cauſſa mei ſit aliqua neceſſe eſt. Hanc vero cauſſam omnes habere, quæ fieri, & cogitari poſſunt, perfectiones, id ex notione ejus, quæ in animo meo inſidet, efficio. *Orbem* vides hic, quem vitioſiſſimum eſſe Philoſophi omnes fatentur. Si fieri poteſt, ut etiam tum fallar, quum clariſſime ac diſtincte percipio, quis certiorem me reddet, notionem illam DEI, tametſi evidentiſſima mihi eſſe videatur, & mecum nata, non eſſe viſum quoddam fallax & commentitium? MOSHEMIUS *Not.* 2. *in* §. *XCIV. Cap. V. Sect. I. Syſt. Intell.* CUDW. *T. II.* *p* 882.

§. XXVII.

Nemine poſtremo docente, Syllogiſmos Philoſophicos ad Scholaſticos, vel ad Scientifica Ratiocinia accedentes, VEROS eſſe patet (§. XII. ᵛ., *Ex. ad* §. XIII. ᵠ., *Ex. ad* §. XVII. ᵅ.; *&* I.ᵃ H. §. X. ˢ., *&* §. XVI. ᵐ.); ad Sophiſmata autem (§. XXIII. *ad* XXVI.), FALSA. Ac de SYLLOGISMO quidem ſatis arbitror dictum (§. I.). Nam cetera, quæ hujus loci videbantur, vel ex præc.ᵇᵘˢ hujus, vel priore Parte aſſumenda. Itaque

S. D. G.

S. D. G.

LIBRI IV.
FINIS.

Digitized by Google

SCHOLÆ
VERITATIS INQUIRENDÆ
LIBER V.
DE
ORATIONE*

Paragr. 14. Prol.

§. I.

JAm denique, non, ut dicitur, marte noſtro, ſed DEO duce ac favente, ad Librum vi., totiuſque Operis eventum properamus. At prius Quid Oratio, 2.° Quotuplex (II.° III.° § XIX.), 3.° Qua Sit Cum Veritate Invenienda, Quaque Texenda Methodo docendum eſt (§. XX. L. I.).

§. II.

I.ᵃ (§. I.)

Oratio est propositionum, et syllogismorum ordo (II.ᵃ III.ⁱ, & II.ᵃ IV.ⁱ), propositioni, et scopo, tamquam axi, affixus. Hinc igitur ortus, huc rediens hîc deſinens, ut a centro, & in centrum radii. Ordo eſt ſequentium cum præcedentibus nexus, vel, ut Stoicis placet, Compoſitio rerum aptis & acccommodatis locis (a).

(a) *Apud* CICERON. *I. Offic.* 41. 42.

Accipite enim, Optimi Adoleſcentes, veterem Orationem Architæ Tarentini (*a*), magni in primis, & præclari viri (*b*). Nullam capitaliorem peſtem, quam Corporis *VOLUPTATEM* Hominibus dicebat a Natura datam (*c*) 92., cujus *VOLUPTATIS* avidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur (*d*). Hinc (*e*) Patriæ proditiones, hinc rerum publicarum everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci 93. Nullum denique ſcelus,

(a) *Propoſitio Practica Affirmans* (*II.ᵃ III.ⁱ* §. *VIII.*) (b) *Incidens* (§. *XL.* α.). (c) *E*, *&* *Comparativa* (§. *XIV.* *&* *LV.*), *quæ etiam Propoſitio* Quantitatis, *vel* Exceſſus, *&* Qualitatis comparatæ *ſolet appellari*. *Hujuſmodi enim Propoſitionibus rei apicem indicamus*. (d) *Incidens*, *&* *Modalis* (§. XIL. γ. *&* §. LVIII.). (e) *Singularitas originis*, *&* *Partitio* (§. XXIX. κ., *&* §. XX.)

92. Scopus totius Orationis.

93. Enthymema Inverſum, & Involutum (II.ᵃ IV.ⁱ §. XI. XIV.). Nimirum: Patriæ proditiones, rerum publicarum everſiones, cum hoſtibus clandeſtina colloquia a *VOLUPTATE* oriuntur. Ergo nulla capitalior peſtis, quam *VOLUPTAS* (Not. 92.)

ius, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido *VOLUPTATIS* impelleret (*f*) 94. Stupra vero, & Adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, niſi (*g*) *VOLUPTATIS* 94. Cumque homini ſive Natura, ſive quis Deus (*h*) nihil Mente præſtabilius dediſſet (*i*), huic divino muneri ac dono nil tam eſſe inimicum, quam (*k*), *VOLUPTATEM* 95. Nec enim, libidine dominante (*l*). Temperantiæ locum eſſe, neque (*m*) omnino (*n*) in *VOLUPTATIS* Regno virtutem poſſe conſiſtere 96. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo jubebat [*o*] tanta incitatum aliquem *VOLUPTATE* Corporis, quanta [*p*] percipi poſſet maxima, Nemini credebat fore dubium quin [*q*] tamdiu (*r*), dum ita gauderet (*s*), nihil agitare Mente, nihil (*t*) cogitatione conſequi poſſet 97. Quocirca nihil eſſe tam deteſta-

(*f*) *Compoſita*, *E*, *Suſpenſiva* (§. §. XLI. LI. XIV.). (*g*) *Partitio*, & *Exceptiva* (§.§ XX. LIII. *b*) *Disjunctiva* (§. XLIV.). (*i*) *E*, *Comparativa* (§.§. XIV. XIII. *α*. & §. LV.). (*k*) *E*, *Relativa* (§.§.XIV. XLIX.). (*l*) *Reſtrictiva* (§. LIV.). (*m*) *Copulativa* (§. XLIII.) (*n*) *E*, *Modalis* (§. LVIII. *β*.) (*o*) *Fictio*, & *Practica* (§. XXIII. *γ*.& §. VIII. *δ*.). (*p*) *Relativa* (§. XLIX.).
(*q*) *E*, *Suſpenſiva* (§.§.XIV. XIII. *α*., & LI.). (*r*) *Deſitiva* (§. LVI. *α*.) (*s*) *Reſtrictiva* (§. LIV.). (*t*) *E*, *Compo-*

94. Ergo nulla Capitalior Peſtis, quam VOLUPTAS (*Not.* 92.) Inverſum videlicet, & Involutum Enthymema (*Not.* 93.).

95. Menti nil tam inimicum eſt, quam *VOLUPTAS*. Ergo nulla Capitalior peſtis, quam *VOLUPTAS* (*Not.* 92.).

96. *Probatur Antecedens*: *VOLUPTATE* dominante nulla virtus poteſt in Mente conſiſtere. Ergo Menti nil tam inimicum eſt, quam *VOLUPTAS* (*Not.* 95.). Nulla igitur capitalior peſtis, quam *VOLUPTAS* (*Not.* 92.).

97. Inverſum, Involutum, & Compoſitum Enthymema (II. IV. §. §. XI. XIV.). Nimirum: Mens, tantâ incitata *VOLUPTATE* Corporis, quanta concipi poteſt, maxima, nihil

ſtabile, tamque peſtiferum, quam (*u*) *VOLUPTATEM* (*Not.* 92.) 98. Siquidem, cum major eſſet, atque longior (*x*), omne Animi lumen (*y*) extingueret. 99. *Apud* CICERONEM *Cat. Maj.* XII.

§. III.

2.ᵒ (§. I.)

Quoniam Oratio eſt Propoſitionum, & Syllogiſmorum Ordo, Propoſitioni, & Scopo affixus (§.II.), Omnis autem Syllogiſmus aut Vulgaris eſt, aut Rethoricus, aut Philoſophicus, aut Scholaſticus, aut Scientificus (II.ᵃ IV.ⁱ §.XIX., & §.VII. ᵘ., & §.X.& *ej.Ex.*); Ordo Propoſitionum (II.ᵃ III.ⁱ), & Syllogiſmorum Vulgarium, omnium, aut fere, Propoſitioni affi-

poſita (§.§. XIV. XIII. *a.* & §. XLI.). (*u*) *E*, *Relativa* (§.§. XIV. XIII. XLIX.). (*x*) *Reſtrictiva* (§. LIV.). (*y*) *A* (§.§.XIV. XIII.).

nihil cogitare poteſt. Ergo, *VOLUPTATE* dominante, nec ulla virtus in Mente conſiſtere (*Not.* 96.). 98. Conſequenter nihil eſt tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quam *VOLUPTAS* (*Not.* 92.). Sive: Nil tam inimicum eſt Menti, quam *VOLUPTAS*: Nam in Mente, *VOLUPTATE* dominante, nulla virtus poteſt conſiſtere: Mens enim, tantà incitata *VOLUPTATE*, quanta concipi poteſt, maxima, nihil cogitare poteſt. Ergo nil tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quam *VOLUPTAS*. Quod eſt Epichirema Philoſophicum (II.ᵃ IV.ⁱ §. XII. *v.*), ſed informe, & vitioſum. Subolet enim Sophiſma (II.ᵃ IVⁱ §. XXV.). 99. *VOLUPTAS*, cum major eſt, atque longior, omne animi lumen extinguit. Ergo nil deteſtabilius *VOLUPTATE*. Erat ſcilicet Inverſum, compoſitumque Enthymema, & Paralogiſmus (§. §. *cit.*).

Digitized by Google

affixus alicui, delectandi ſcopo, vel perſuadendi, ORATIO VULGARIS, vel FAMILIARIS dicitur, ſed Scopo narrandi, HISTORICA, hujuſque Continuatio, HISTORIA: Ordo Propoſitionum, & Syllogiſmorum Rethoricorum, omnium, aut fere, Scopo præſertim ſuadendi, RETHORICA: Ordo Propoſitionum, & Syllogiſmorum Philoſophicorum, Scopo docendi, PHILOSOPHICA (*Ex. ad* §. II.), & ejus Continuatio SCRIPTUM PHILOSOPHICUM, ut CICERONIS OFFICIA: Ordo Propoſitionum & Syllogiſmorum Scholaſticorum, Scopo igitur Propoſitionis alicujus Veritatem inveniendi, ANALYTICO-SCHOLASTICA, ejuſque Continuatio SCRIPTUM ANALYTICO-SCHOLASTICUM (II. IV. §. XIX. γ.), ut FRASSENII Opera, & BELLARMINI: Ordo demum Propoſitionum, & Syllogiſmorum Scientificorum, Veritatem inveniendi Scopo, ANALYTICO-SCIENTIFICA, at inventam edocendi SYNTHETICO-SCIENTIFICA (§. *Cit.*), ejuſque Continuatio SCRIPTUM SYNTHETICO-SCIENTIFICUM, vel SYSTEMA (§. *Cit.* ζ.)

ORATIO FAMILIARIS. Crediſne, inquit Craterus Alexandro, adventu magis hoſtium, ut jam in vado conſiſterent, quam cura ſalutis tuæ, ut nunc tibi eſt vilis, nos eſſe ſollicitos? (*a*) 100. Quantalibet vis omnium Gentium conſpiret in nos (*b*), impleat armis,

(*a*) *Compoſita*, *Comparativa*, *Affirmans* (§.§. XLI. LV., & §. VII. β. γ.), *Singularis* (§. XXIX. ι.). (*b*) *Amplians* §. LIV. γ.

100. SCOPUS ORATIONIS. Nempe: Nos longe magis ſumus

mis, viriſque totum orbem, claſſibus maria conſternat, inuſitatas belluas inducat (c), Tu (d) nos præſtabis invictos 101. Sed quis Deorum hoc Macedoniæ columen ac ſidus diuturnum polliceri poteſt? (e), cum tam avide manifeſtis periculis offeras Corpus (f) 102., oblitus tot Civium animas trahere te in caſum (f). Quis enim tibi ſuperſtes aut optat eſſe, aut (g) poteſt? Eo pervenimus auſpicium, atque imperium ſecuti (h) tuum, unde, niſi (i) te reduce, nulli ad penates ſuos iter eſt 103.. Qui ſi adhuc de Perſi-
dis

(§.LIV. ν.). (c) *Partitio* (§.XX.). (d) *Principalis* (§.XL. β.). (e) *Negans Obſcura* (§.X. μ.). (f) *Incidens*, & *Principalis ratio* (§.XL. ψ.). (f) *Incidens*, & *alia Principalis ratio* (§.XL. ψ.). (g) *Negans obſcura*, & *Disjunctiva* (§.X. μ. & §.XLIV.). (h) *Explicatio Principalis* (§.XL. γ.). (i) *Exceptiva* (§.LIII).
(k)

ſumus ſolliciti de cura ſalutis tuæ, quam hoſtium adventu. Hinc igitur prodit, ab incœpto Bello deſiſtendum. (II. III. §. VIII. γ. & §.IX.).

101. Inverſum Enthymema (II. IV. §.XI.), Compoſitum (II. IV. & §.XIV.), Involutum, & Vulgare quoad Extrema. Nimirum: Quantalibet vis omnium Gentium conſpiret in nos, impleat armis, viriſque totum orbem, claſſibus Maria conſternat, inuſitatas belluas inducat; Tu nos præſtabis Invictos. Longe igitur magis ſumus ſolliciti de cura ſalutis tuæ, quam hoſtium adventu (*Not.* 100.).

102. Tu nimium avide manifeſtis periculis offers Corpus. Ergo nullus Deorum te diuturnum polliceri poteſt. En itaque, cur longe magis ſimus ſolliciti de cura ſalutis tuæ, quam hoſtium adventu (*Not.* 100.).

103. Tu præterea Omnium Civium animas trahis in caſum: Nullus enim tibi ſuperſtes aut optat eſſe, aut poteſt: Nam eo omnes pervenimus, auſpicium, atque imperium ſecuti tuum, unde, niſi te reduce, nulli ad penates iter eſt. Longe igitur magis nos ſumus ſolliciti de cura ſalutis
tuæ,

Digitized by Google

dis Regno cum Dario dimicares (*k*), etſi nemo vellet (*l*), tamen ne admirari quidem poſſet tam promptæ eſſe te ad omne (*m*) diſcrimen audaciæ. Nam ubi paria ſunt periculum, ac præmium, & ſecundis rebus amplior fructus eſt, & adverſis ſolatium majus (*n*). Tuo vero capite ignobiliorem vicum emi quis ferat? (*o*), non tuorum Militum modo, ſed illius etiam (*p*) Gentis barbaræ, qui tuam (*q*) magnitudinem novit? 104. Horret animus cogitatione rei, quam paulo ante vidimus (*r*). Eloqui timeo, invicti Corporis ſpoliis inertiſſimos manus fuiſſe injecturos, niſi (*s*) te interceptum miſericors in nos fortuna ſervaſſet. Totidem proditores, totidem deſertores ſumus, quot (*t*) te non potuimus perſequi. Univerſos licet Milites ignominia notes (*u*), nemo recuſabit luere id, quod

 ne

(*k*) *Fictio* [§. XXIII. 7.]. (*l*) *Amplians* [§. LIV. 1.] (*m*) E, *A*, *i* [§. §. XIV. XIII. 2. XXX.] (*n*) *Relativa*, *&* *Sententioſa* [§.§. XLIX. XXVII.] (*o*) *Arguta* [§. LVII.]. (*p*) *Incluſiva* [§. LII. 1.]. (*q*) *Incidens* [§. XL. 7.] (*r*) *Complexa* (§. XL.). (*s*) *Exceptiva* (§. LIII.). (*t*) *Relativa* §. XLIX.). (*u*) *Amplians* [§. LIV. 1.].

tuæ, quam de hoſtium adventu (*Not.* 100.). Quod eſt Epichirema Philoſophicum quoad ordinem, [II. IV. §. XII. *u.*, *&* *Ej. Ex.*], Vulgare quoad Extrema [II. IV. §. XIX.]. *Conſ.* *Not.* 101.

104. Syllogiſmus Hypotheticus (II. IV. §. XVII.), Epichirematicus (II. IV. § XIV.), Philoſophicus (*Ex. ad* §. XVII. *a.*), & Vulgaris (*Not.* 103.). Nimirum: Si adhuc de Perſidis Regno cum Dario dimicares, Nemo admirari poſſet, tam promptæ eſſe te ad omne diſcrimen audaciæ: Nam ubi paria ſunt periculum, ac Præmium, ibi & ſecundis rebus amplior fructus eſt, & adverſis ſolatium majus. Atqui de Perſidis Regno cum Dario non dimicas, ſed pro ignobili vico exponis caput tuum. Ergo omnis, non tuorum modo Militum, ſed Barbarorum, queis nota eſt tua magnitudo, admiretur oportet tam promptæ eſſe te ad omne diſcrimen audaciæ. Ab hoc itaque Bello deſiſtendum, tuæque ſaluti magis, quam hoſtibus conſulendum (*Not.* 100.).

ne amitteret, præſtare non potuit (x) 105. Patere nos quæſo alio modo eſſe viles tibi (y). Quocumque juſſeris ibimus (z), obſcura bella, & ignobiles pugnas nobis depoſcimus (a). Temetipſum ad ea ſerva, quæ magnitudinem tuam capiunt (b). Cito gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus (c). Nec quidquam indignius eſt, quam conſumi eam, ubi non poſſit oſtendi (c).

Historica. Eadem fere Ptolomæus, & ſimilia iis ceteri (d). Jamque confuſis vocibus flentes eum orabant, ut tandem exſatiatæ laudi modum faceret, ac ſaluti ſuæ, ideſt publicæ parceret (e). Grata erat Regi pietas amicorum (f). Itaque ſingulos familiarius amplexus conſidere jubet (g), altiuſque ſermone repetito,

Familiaris 106. Vobis quidem, inquit (h), o fidiſ-

(x) *E, Compoſita, Arguta.* (§. §. *XIV. XIII. XLI., LVII.*): (y) *Practica, & Arguta* (§. §. *VIII.* ℞., *LVII.*) (z) *A, i* (§. §. *XIV. XIII.* ℞., *XXX.*). (a) *Compoſita, Arguta* (§. §. *XLI., LVII.*). (b) *i, Practica, Complexa, Arguta* (§. §. *XXX., VIII.* ℞., *XL., LVII.*). (c) *Sententia* (§. *XXVII.*). (d) *Copulativa.* (e) *Compoſita, Arguta, Suſpenſiva.* (f) *Simplex* [§. *XXXIX.*]. (g) *Practica, Complexa.* (h) *Complexa, Theoretica.*

105. Invicti Corporis tuis ſpoliis inertiſſimi fuiſſent manus injecturi, niſi te interceptum miſericors in nos fortuna ſervaſſet: nec te perſequi potuimus, nec auxilium ferre, loco viam præcludente; Jam ergo ignobilis vicus tuo capite nobiliſſimo emebatur; Omnis adeo, non tuorum modo Militum, ſed Barbarorum, admiretur oportet tam promptæ eſſe te ad omne diſcrimen audaciæ; Ab hoc itaque Bello deſiſtendum, tuæque ſaluti magis, quam hoſtibus conſulendum (Not. 104). Erat nempe Vulgare, Involutum, Compoſitum, Inverſumque Enthymema.

106. Historica deſinente, incipit Familiaris Alexandri. Cujus Scopus, redditis gratiarum actionibus, Gloriæ poſ-

fidiſſimi, piiſſimique Civium, atque amicorum (i), grates ago non ſolum eo nomine, quod hodie ſalutem meam veſtræ præponitis, ſed (k) quod a primordiis belli nullum erga me benevolentiæ pignus atque indicium omiſiſtis; adeo ut confitendum ſit (l), numquam vitam meam fuiſſe tam charam, quam (m) eſſe cœpit, ut vobis diu frui poſſim. Ceterum non eadem eſt cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea (n), qui quidem hanc benevolentiam veſtram virtute meruiſſe me judicio (o). Vos enim diuturnum fructum ex me, forſitan etiam perpetuum percipere cupitis (p). Ego me metior non ætatis ſpatio, ſed (q) Gloria 107. Licuit paternis opibus contento expectare obſcuram, & ignobilem ſenectutem (r). Quamquam (s) ne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed unicum bonum diuturnam vitam æſtimantes ſæpe acerba mors occupat (t). Verum ego, qui non annos meos, ſed victorias numero (u), ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi (x). Orſus a Macedonia bellum, Græciam teneo: Thraciam, & Illyricos ſubegi: Triballis, Mediſque imperito: Aſiam, qua Helleſponto, qua rubro mari alluitur, poſſideo (y). Jamque haud procul abſum a fine Mundi. Quem egreſſus, aliam Naturam, alium Orbem aperire mihi ſtatui. Ex Aſia in Europæ terminos momento unius

horæ

(i) Incidens; & Ornamentum. (k) Incluſiva. (l) Concluſiva (§. LII. n.). (m) Relativa. (n) Compoſita, Arguta. (o) Incidens, Arguta. (p) Compoſita, Arguta. (q) Diſcreta. [§. XLVIII.]. (r) Compoſita, Arguta. (s) Reſtrictiva. (t) Sententioſa. (u) Diſcreta. (x) Hypothetica (§. XLVII.), & Arguta. (y) Partitio;

(z)

poſponendam eſſe Salutem, minime ergo a Bello deſiſtendum, adverſis adeo Rationibus deletis,

107. Vulgare, Involutum, Compoſitum, Inverſumque Enthymema,

fidiſſimi, piiſſimique Civium, atque amicorum (i), grates ago non ſolum eo nomine, quod hodie ſalutem meam veſtræ præponitis, ſed (k) quod a primordiis belli nullum erga me benevolentiæ pignus atque indicium omiſiſtis; adeo ut confitendum ſit (l), numquam vitam meam fuiſſe tam charam, quam (m) eſſe cœpit, ut vobis diu frui poſſim. Ceterum non eadem eſt cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea (n), qui quidem hanc benevolentiam veſtram virtute meruiſſe me judicio (o). Vos enim diuturnum fructum ex me, forſitan etiam perpetuum percipere cupitis (p). Ego me metior non ætatis ſpatio, ſed (q) Gloria 107. Licuit paternis opibus contento expectare obſcuram, & ignobilem ſenectutem (r). Quamquam (s) ne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed unicum bonum diuturnam vitam æſtimantes ſæpe acerba mors occupat (t). Verum ego, qui non annos meos, ſed victorias numero (u), ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi (x). Orſus a Macedonia bellum, Græciam teneo: Thraciam, & Illyricos ſubegi: Triballis, Mediſque imperito: Aſiam, qua Helleſponto, qua rubro mari alluitur, poſſideo (y). Jamque haud procul abſum a fine Mundi. Quem egreſſus, aliam Naturam, alium Orbem aperire mihi ſtatui. Ex Aſia in Europæ terminos momento unius horæ

*(i) Incidens; & Ornamentum. (k) Incluſiva. (l) Concluſiva (§. LII. *). (m) Relativa. (n) Compoſita, Arguta. (o) Incidens, Arguta. (p) Compoſita, Arguta. (q) Diſcreta. [§. XLVIII.]. (r) Compoſita, Arguta. (s) Reſtrictiva. (t) Sententioſa. (u) Diſcreta. (x) Hypothetica (§. XLVII.), & Arguta. (y) Partitio, (z)*

---

poſponendam eſſe Salutem, minime ergo a Bello deſiſtendum, adverſis adeo Rationibus deletis.

107. Vulgare, Involutum, Compoſitum, Inverſumque Enthymema.

horæ tranſivi 108. Victor utriuſque regionis poſt nonum Regni mei, poſt XX. atque VIII. ætatis annum (z), videorne vobis in excolenda Gloria, cui me uni devovi (z), poſſe ceſſare ? (a). Ego vero non deero (b), Et ubicumque pugnabo, in Theatro Terrarum Orbis eſſe me credam (c) 109. Dabo nobilitatem ignobilibus locis (c). 109. Aperiam cunctis gentibus terras, quas Natura longe ſubmoverat (d). In his operibus extingui mihi, ſi ſors ita feret, pulchrum eſt (e). Ea ſtirpe ſum genitus, ut multam, priuſquam longam vitam debeam optare (f). Obſecro vos, cogitate (g), nos perveniſſe in terras, quibus Fœminæ ob virtutem celeberrimum nomen eſt (h). Quas urbes (i) Semiramis condidit, quas gentes redegit in poteſtatem, quanta opera molita eſt (k) ? Nondum Fœminam æquavimus gloria 110., & jam nos laudis ſatietas cœpit ? 111. (l), Dii faveant, majora adhuc reſtant 112. Sed ita noſtra erunt, quæ nondum attigimus, ſi nihil parvum duxerimus, in quo magnæ Gloriæ locus eſt (m) 113.

Vos

(z) *Incidens, & robur Principalis* (§. *XL.* 5., & *influens in Scopum* (Not. 106.). (a) *Negans Obſcura*. (b) o, *influens in Scopum* (Not. Cit.). (c) i, *Arguta*. (d) i, *Complexa*. (e) *Dictum Sententioſum*. (f) i, *Complexa, Suſpenſiva, Arguta*. (g) *Practica*. (h) *Complexa*. (i) *Partitio*. (k) *Fortis affirmatio* [§. *VII.* β.]. (l) *Negans Obſcure*. (m) *Dictum Sententioſum*.

(n)

108. Intempeſtiva Propoſitio. Erat enim in fine Mundi conſtitutus Macedo, de alia Natura, deque alio ſibi aperiendo Orbe jactitans; & nunc jam rurſus in Mundo? Sunt hi nempe frequentes FAMILIARIUM ORATIONUM errores.

109. Refutatio Crateri [Not. 106.].

110. Pugnat cum præcedentibus.

111. Involutum Enthymema. Nimir: Nondum Fœminam æquavimus gloria: Ergo necdum laudis ſatietas nos capere debet.

112. Inſtar Conſequentiæ Immediatæ [II. IV. Ex. ad §. VIII. v.]. 113. Refutatio Crateri.

Vos modo me ab inteſtina fraude, & domeſticorum inſidiis præſtare ſecurum (n), Belli, Martiſque diſcrimen impavidus ſubibo (o). Philippus in acie tutior, quam in theatro fuit (p) 114. Hoſtium manus ſæpe vitavit, ſuorum effugere non valuit (q) 115. Aliorum quoque Regum exitus ſi reputaveritis, plures a ſuis, quam ab hoſte interemptos numerabitis 114. (r). Cæterum quoniam olim rei agitatæ in animo meo nunc promendæ occaſio oblata eſt, mihi maximus laborum, atque operum meorum erit fructus, ſi Olympias mater immortalitati conſecretur, quandocumque exceſſerit e vita (s). Hoc, ſi licuerit, ipſe præſtabo (t). Si me præceſſerit fatum, vobis mandaſſe mementote (u). *Apud* CURTIUM IX. 6.

HISTORICA. Alexander, ſatis omnibus, quæ in rem videbantur, compoſitis, vocari ad Concionem Exercitum juſſit, apud quem talem ORATIONEM habuit (x).

RETHORICA 116. Magnitudinem rerum, quas geſſimus, Milites, intuentibus vobis minime mirum eſt, & deſiderium quietis, & ſatietatem Gloriæ occurrere (y). Ut omittam Illyricos (z), Triballos, Bæotiam,

(n) *i, Copulativa, Practica.* (o) *i, Copulativa, Theoretica, ſeu conſequens Practicæ.* (p) *i, Comparativa, Arguta.* (q) *i, 8-A* (§. *XXXV.*), (o), *Diſcreta.* (r) *i, Hypothetica, Comparativa.* (s) *Cauſſalis* (§. *XLV.*), *Hypothetica, quadantenus in Scopum influens* Not. 106. (t) *i, Hypothetica.* (u) *Hypothetica, Præceptum* (§. *XXVIII. f.*) (x) *Complexa* §. *XL.* (w) (y) *Compoſita.* (z) *Partitio.*

114. Practicæ Sufficiens Ratio [II. III. § IX.], ab Exemplo [II. IV. §. V.].

115. Involutum, Inverſum, & Vulgare Enthymema. Nimirum: Philippus hoſtium manus ſæpe vitavit, ſuorum effugere non valuit. Ergo in acie tutior, quam in Theatro fuit [II. IV. §.§. XI. XIV.].

116. SCOPUS: Bellandum adhuc, non in Patriam nobis remigrandum eſt. Propoſitiones Practicæ, ſive Propoſitio Compoſita, Practica [II. III. §.§. XLI. VIII. IX. XI.]

Thraciam; Spartam, Achæos; Pelopponeſum, quorum alia ductu meo, alia imperio, auſpicioque per omnia (a): Ecce (b) orſi bellum ad Helleſpontum, Jonas, Æolidem ſervitio Barbariæ impotentis eximimus. Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphalagoniam, Pamphiliam, Piſidias, Ciliciam, Syriam, Phœnicen, Armeniam, Perſidem, Medos, Parthienem habemus in poteſtate. Plures Provincias complexus ſum, quam alii urbes cœperunt (c). Et neſcio, an (d) enumeranti mihi quædam ipſarum rerum multitudo ſubduxerit. Itaque ſi crederem ſatis certam eſſe poſſeſſionem Terrarum (e), quas (f) tanta velocitate domuimus, ego (g) vero, Milites, ad Penates meos, ad Parentem, ad ſorores, & (h) ceteros Cives, vel (i) renitentibus vobis, erumperem, ut ibi potiſſimum parta vobiſcum, laude, & gloria fruerer, ubi (k) nos uberrima victoriæ præmia expectant liberorum (l), Conjugum, parentumque lætitia, pax, quies, rerum per virtutem partarum ſecura poſſeſſio. Sed in novo, & (ſi verum fateri volumus) precario Imperio, adhuc jugum ejus rigida cervice ſubeuntibus Barbaris (m), tempore, milite opus eſt (n), dum mitioribus Ingeniis imbuuntur (o), & efferatos mollior conſuetudo permulcet (p). Fruges quoque maturitatem ſtatuto tempore expectant: adeo etiam illæ ſensûs omnis expertia tamen ſua lege miteſcunt. Quid? creditis, tot gentes, alterius Imperio ac nomine aſſuetas, non ſacris, non moribus, non commercio linguæ nobiſcum cohærentes, eorum prælio domitas eſſe, quo victæ ſunt? (q). Veſtris Armis

tio. (a) *Incidens* (§. *XL*. *B*.). (b) *Principalis* (§. *Cit*.), & *Partitio*. (c) *Compoſita*, & *Arguta*. (d) *Suſpenſiva*. (e) *Hypothetica*. (f) *Incidens*, & *Explicatio*. (g) *i*, & *Conſequens Hypotheſeos*. (h) *Partitio*. (i) *Amplians*. (k) *Relativa*. (l) *Partitio*. (m) *Incidens*, & *ratio*. (n) *Principalis*. (o) *Incidens*, & *ratio*. (p) *Eadem*. (q) *Complexa*, & *Negans Obſcura*.

Digitized by Google

mis continentur, non ſuis moribus (r). Et qui præſentes metuunt, in abſentia hoſtes erunt (s). Cum feris beſtiis res eſt, quas (t) captas & incluſas, quia (u) ipſarum natura non poteſt, longior dies mitigat 117. Et adhuc ſic ago (x), tamquam omnia ſubacta ſint armis, quæ fuerunt in ditione Darii (y). Hircaniam (z) Nabarzanes occupavit (a). Bactra non ſolum poſſidet parricida Beſſus, ſed etiam (b) minatur. Sogdiani, Dahæ, Maſſageræ, Sacæ, Indi ſui juris ſunt (c) 118. Omnes hi ſimul, ſi terga noſtra viderint, ſequentur (d). Illi enim ejuſdem Na-

(r) *Diſcreta*. (s) *Compoſita*, *Arguta*. (t) *Complexa*. (u) *Cauſſalis*. (x) *i*, *Suſpenſiva*. (y) *Complexa*. (z) *Partitio*. (a) *i*, *Simplex*. (b) *i*, *Incluſiva*. (c) *Compoſita*. (d) *Hypo-*

117. Si certa eſſet poſſeſſio Terrarum, quas domuimus, Milites, in Patriam nobis remigrandum eſſet, nec ultra bellandum. Atqui certa non eſt poſſeſſio Terrarum, quas domuimus: Nam novi precariique Imperii jugum rigida cervice ſubeunt Barbari; Tempore adeo, & Milite opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur; Et effrænatos mollior conſuetudo permulcet; Fruges quoque, etſi Senſûs expertes, maturitatem ſtatuto tempore expectant; Nec credi poteſt, tot Gentes, alterius Imperio, ac Nomine aſſuetas, *&c.*, ſtatim domitas, ac victæ ſunt; Veſtris Armis continentur, non ſuis moribus; Et qui præſentes metuunt, in abſentia hoſtes erunt; Sunt ſcilicet fere Beſtiæ, quas longior dies mitigat. Ergo Bellandum adhuc, non in Patriam nobis remigrandum eſt (Not. 116.). Syllogiſmus Hypotheticus, Epichirematicus, finitimus Oratorio, & Rethorici particeps (II.æ IV.i §.§. XVII. XIV. XII. X.).

118. Si Omnia, quæ fuerunt in ditione Darii, ſubacta eſſent armis, in Patriam nobis remigrandum eſſet, nec ultra bellandum. Atqui Omnia, quæ fuerunt in ditione Darii, ſubacta non ſunt armis: Nam Hircaniam Nabarzanes occupavit; Bactra, *&c.* Ergo bellandum adhuc, non Patriam nobis remigrandum eſt (Not. 116., & II.æ IV.i §.§. XVII. XIV.).

Digitized by Google

Nationis ſunt, Nos alienigenæ, & externi (e). Suis autem quique parent placidius (f), etiam cum is præeſt, qui magis timeri poteſt (g). Proinde (h) aut quæ cœpimus omittenda ſunt, aut (i) quæ non habemus occupanda 119. Sicut in Corporibus ægris, Milites, nihil, quod nociturum eſt Medici relinquunt (k): ſic Nos quidquid obſtat Imperio recidamus (l) 120. Parva ſæpe Scintilla contempta magnum excitavit incendium (m). Nil tuto in hoſte deſpicitur (n), quem ſpreveris valentiorem negligentiâ facies (o). Ne Darius quidem hereditarium Perſarum accepit Imperium, ſed in ſedem Cyri beneficio Bagoæ caſtrati hominis admiſſus (p): ne vos magno labore credatis Beſſum vacuum Regnum occupaturum (q) 121. Nos vero peccavimus, Milites, ſi Darium ob hoc

pothetica. (e) *Compoſita*, *Aſſirmans*, (f) *Sententioſa*. (g) *Amplians cum Incidente*. (h) *Concluſiva*. (i) *Disjunctiva*. (k) o, *Complexa*, *Theoretica*. (l) i, *Practica*, (m) *Proverbium* [§. XXVII.]. (n) *Sententia*. (o) *Conſequens ſententioſum*. (p) o, & i, *Compoſita*. (q) o. *Pra-*

119. Syllogiſmus Vulgaris (II. IV. §. XIX) deſinens in Scopum (*Not.* 116.) per Disjunctivum (II. IV. §.§. XV. XIV.). Nimirum: Suis quique parent placidius, quam alienigenis & externis, quos etiam, ſi eorum terga viderint, ſequentur. Sed Nabarzanes, Beſſus, Sogdiani, Dahæ, Maſſagetæ, Indi ejuſdem ſunt Nationis, Nos alienigenæ & externi. Ergo Nabarzanes, Beſſus, &c. ſuis placidius, quam Nobis, parent, &, ſi terga noſtra viderint, ſequentur. Aut igitur (inſtar Conſequentiæ Immediatæ, II. IV. *Ex. ad* §. VIII. v.) quæ cœpimus omittenda ſunt, aut quæ non habemus occupanda. Atqui quæ cœpimus omittenda non ſunt. Ergo quæ non habemus occupanda. Itaque Bellandum adhuc, &c. (*Not.* 116., & II. IV. *Ex. ad.* §. *Cit*).

120. Enthymema Rethorico-philoſophicum, & A pari, Influens in Scopum (II. IV. *Ex. ad* §. X. v. & *Not.* 116.).

121. Darius Perſa Regnum non ſuum occupavit. Ergo Beſſus Perſa Regnum non ſuum occupabit. Quod eſt Enthy-

hoc vicimus, ut ſervo ejus traderemus imperium, qui ultimum auſus ſcelus, regem ſuum etiam externæ opis egentem, certe cui nos victores pepercissemus, quaſi captivum in vinculis habuit, ad ultimum, ne a nobis conſervari poſſet, occidit (r). Hunc vos regnare patiemini, quem equidem cruci affixum videre feſtino, omnibus regibus, Gentibuſque fidei, quam violavit, meritas pœnas ſolventem? (s) 122. At hercule ſi mox eundem Græcorum urbes, aut Helleſpontum vaſtare nuntiatum erit (t); quo dolore (u) afficiemini, Beſſum præmia veſtræ occupaſſe victoriæ? Tunc (x) ad repetendas res feſtinabitis, tunc arma capietis. Quanto autem præſtabit territum adhuc, & vix mentis ſuæ compotem opprimere (x)? 123. Quatridui nobis iter ſupereſt, qui (y) tot proculcavimus nives, tot amnes ſuperavimus, tot montium juga tranſcurrimus: non mare illud, quod exæſtuans iter fluctibus occupat, euntes vos moratur: non Ciliciæ fauces, & anguſtiæ includunt. Plana omnia

practica. (r) *Hypothetica, Arguta, Complexa cum multiplici Incidente.* (s) *Negans Obſcura, Practica, Complexa.* (t) *Fictio.* (u) *Conſequens Fictionis.* (x) *Conſequens aliud Fictionis cum Singularitate Temporis* [§.XXIX.c]. (x) *Fortis Affirmatio.* (y) *Incidentes per Partitionem.*

thymema Rethorico-Scholaſticum, ab Exemplo, & A pari (II.a IV.i *Ex. ad* §. X. s. *&* I.a III.i §. V.).

122. Nos, niſi per ſummum ſcelus, pati non debemus, ut Beſſus, Servus, Parricida, dignus Cruce, Regnum non ſuum occupet. Ergo Bellandum adhuc nobis, non in Patriam remigrandum eſt (II.a IV.i §. XIV. *&* *Not.* 116.).

123. Si Beſſus audax noſtras urbes vaſtaret, bellandum adhuc eſſet contra occupatorem noſtrorum præmiorum. Ergo magis cum Beſſo territo bellandum eſt, ne præmia noſtra occupet. Quod eſt Enthymema Rethorico-Scholaſticum *a Minori ad Majus* (II.a IV.i *Ex. ad* §.X.s., *&* I.a III.i §. V. *&* *Not.* 116.).

omnia, & prona ſunt (z). In ipſo limine victoriæ ſtamus (a). Pauci (b) nobis fugitivi, & domini ſui interfectores ſuperſunt 124. Egregium mehercule opus, & inter præmia Gloriæ veſtræ numerandum, Poſteritati, famæque tradetis (c) 125. Darii quoque hoſtis, finito poſt mortem ejus odio, parricidas eſſe vos ultos, neminem impium effugiſſe manus veſtras (d) 126. Hoc perpetrato, quanto creditis Perſas obſequentiores fore, cum intellexerint vos pia bella ſuſcipere, & Beſſi ſceleri, non nomini ſuo iraſci (e)? 127.

Historica. Summa Militum alacritate jubentium quocumqe vellet, duceret, Oratio excepta eſt 128. Nec Rex moratus impetum, &c. CURTIUS V. c. 4.

Sed abſolutiſſimæ Orationes Rethoricæ, ac per eminentiam Orationes, ſunt, nec vero eſt, quem lateat, Ciceronis illæ, & Segne-

(z) *A, Copulativa*. (a) *i, Simplex, Arguta*. (b) *Ei* [§. *XXXIV*.] *Copulativa*. (c) *Complexa cum Ornamento*. (d) *Complexa cum Ratione*. (e) *Fortis Affirmatio, Complexa cum Ratione, & Diſcreta*.

124. Hæc cum Beſſo pugna facillima eſt. Ergo ineunda (II. IV. §. VIII. & *Not.* 116.).

125. Hoc igitur Opus peragendum eſt (*Not. Cit.*).

126. Mirabitur, Commendabit. Mirandum igitur hoc Opus, & Commendabile abſolvendum eſt (*Not. Cit.*).

127. Ergo perpetrandum eſt (*Not. Cit.*). Involuta nimirum Enthymemata.

128. Utinam, non Imperatores modo, ſed Sacri Oratores ſic ſaperent, ut pari alacritate Orationes eorum ab Auditoribus ſuſciperentur ſuis, &, quocumque illi vellent, ducerentur! Hi profecto fuerunt PAULUS SEGNERI, & ALOYSIUS A SENIS, Frater noſter. Fuerunt alii, ſuntque etiamnum, at unus, vel alter. Plerique enim vel crocitant, vel undique ineptiunt, vel aures quidem laſcivuli mulcent, Voluntatem autem nec tangunt.

Digitized by Google

C…ERI. Quas qui intelligere, ac imitari velit, QUINCTILIANI Artem, aut PLATINÆ, & SERRÆ Analyſim calleat opus eſt. At hujus Analyſis *Oratoriæ*; Noſtra, quam in CURTIUM dedimus, & CICERONEM (*Ex. ad* §. §. II. III.), *Dialectica* (II. IV. §. XIX. 7.). Et, quæ ALLEGATIONES dicuntur, Rethoricæ ſunt Orationes, Facto quocumque dato per omnes, ſingulaſque Circumſtantias minutiſſime cribrato, Cæſareis, vel Pontificiis applicato Principiis (§.V.L.I. 7., & Not.30.). Nam qui *Advocati* appellantur Oratores eſſe, quem meminimus, SERRA demonſtravit (*b*). EPISTOLÆ tandem FAMILIARES ſunt etiam Orationes, aut Vulgares, aut Hiſtoricæ, aut Rethoricæ, aut ſæpius Mixtæ.

(*a*) *Compendii T. I. p. 419., & ſeqq. Venetiis 1756.*

HISTORICA. Alexandro litteræ a Dario redduntur, quibus ut ſuperbe ſcriptis vehementer offenſus eſt (*f*). Præcipue eum movit, quod Darius ſibi Regis titulum, nec eumdem Alexandri nomini adſcripſerat (*g*). Poſtulabat autem magis, quam petebat (*h*), ut accepta pecunia, quantamcumque tota Macedonia caperet, Matrem ſibi, ac Conjugem, Liberoſque reſtitueret (*i*). De Regno, æquo, ſi vellet, marte contenderet (*k*). Si ſaniora conſilia tandem pati potuiſſet, contentus patrio, cederet alieni Imperii finibus: Socius, Amicuſque eſſet; In ea ſe fidem & dare paratum, & accipere (*l*). Contra Alexander in hunc maxime modum reſcripſit.

(*f*) *i, Complexa cum Ratione*. (*g*), *i, & o, Compoſita, Suſpenſiva*. (*h*) *Diſcreta Obſcura. h e. Non petebat, ſed poſtulabat*. (*i*) *Copulativa, Complexa, Arguta*. (*k*) *Hypothetica, Arguta*. (*l*) *Hypothetica, Arguta, Copulativa*.

Epistola 129. Rex Alexander Dario (*m*). Iſte, cujus nomen ſumpſiſti, Darius, Græcos, qui oram Helleſponti tenent, Coloniaſque Græcorum Jonias omni clade vaſtavit, cum magno deinde Exercitu mare trajecit, illato Macedoniæ, & Greciæ bello (*n*). Rurſus Rex Xerſes Gentis ejuſdem ad oppugnandos nos cum immanium Barbarorum copiis venit, qui navali prælio victus, Mardonium tamen reliquit in Græcia, ut abſens quoque popularetur urbes, agros ureret (*o*). Philippum vero parentem meum quis ignorat ab his interfectum eſſe, quos ingentis pecuniæ ſpe ſollicitaverant veſtri (*p*)? Impia enim bella ſuſcipitis, & cum habeatis arma licitamini hoſtium capita (*q*), ſicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus Rex, percuſſorem in me emere voluiſti (*r*). Repello igitur bellum, non (*s*) infero 130. Et Diis quoque pro meliore ſtantibus cauſa, magnam partem Aſiæ in ditionem redegi meam, teipſum (*t*) acie vici 131. Quem etſi nihil a me impetrare opor-

(*m*) *i*, *Simplex Obſcura* [§. *XXXVIII.*] (*n*) *Compoſita cum multiplici Incidente Explicativa*. (*o*) *Eadem*, *Suſpenſiva etiam*, & *Arguta*. (*p*) *E*, *Obſcura*, & *Complexa*. (*q*) *Compoſita*. (*r*) *i*, *Complexa*. (*s*) *i*, & *o*, *Diſcreta*. (*t*) *Complexa*, *Compoſita*.

129. Scopus: Ego de Regno æquo Marte contendo; Darii demum retusà Superbiâ.

130. Vulgare, Inverſum, Rethoricumque Enthymema; ab Exemplo, & Epichirematicum. Nimirum: Impia bella ſuſcipitis, & cum habeatis arma licitamini hoſtium capita; Etenim Darius Græcos omni clade vaſtavit; Xerſes etiam ad oppugnandos nos cum immanium Barbarorum copiis venit; Philippum parentem meum quis ignorat ab his interfectum eſſe, quos ingentis pecuniæ ſpe ſollicitaverant veſtri? Tu proxime talentis mille percuſſorem in me emere voluiſti. Ergo, repellens Bellum, non inferens, tecum de Regno æquo marte contendo [*Not.* 129.].

131. Cauſa, pro qua ſtant Dii, æqua eſt. Atqui pro mea Cau-

oportet, quod petieras, utpote qui ne belli quidem jura in me ſervaveris, tamen, ſi veneris ſupplex, & Matrem, & Conjugem, & Liberos ſine pretio recepturum te eſſe promitto (*u*). Et vincere, & conſulere victis ſcio (*x*). Quod ſi te nobis committere times, dabimus fidem impune venturum (*y*). De cetero cum mihi ſcribes, memento, non ſolum Regi te, ſed etiam tuo ſcribere (*z*). *Apud* CURTIUM IV. 1.

ANALITICO-SCIENTIFICA. „ An Aër ſit Elaſticus „

132. *DEF.* Vis Elaſtica eſt continuus conatus ſeſe expandendi. *SCHOL.* Si Enſis incurvatur, ipſa manus ſentit niſum, quo ſeſe in ſtatum priſtinum reſtituere conatur. Ob hunc niſum eidem vis Elaſtica tribuitur. *AX.* Quod remota reſiſtentia dilatatur, continuo ſeſe expandere nititur. *SCHOL:* Liquet exemplo Enſis, ad quod modo provocavimus (*Schol.* 1.). *AX.* Quidquid Veſicam expandit, reſiſtentiâ remotâ, id ipſummet intra eandem dilatari debet. *EXPERIM.* Si Collum Veſicæ, in qua paucum Aëris continetur, arcte conſtringatur, atque Veſica ſub Campana vitrea ſuſpenſa ope antliæ pneumaticæ Aër externus removeatur, Aër incluſus eandem expandit. *COR.* Quoniam Aër incluſus Veſicam expandit, externo remoto; externus reſiſtens interno impedire debet, quominus is veſicam expandat, quamprimum reſiſtentia tollitur. *THEOR.* „ Aër eſt Elaſticus „. *DEM.* Aër incluſus Veſicam expandit, quamprimum reſiſtentia tollitur (*Ex Corollar.*); ipſe igitur etiam intra eandem dilatari debet (*Axiom.* 2.). Cum adeo ſe-

ſe

(*u*) *Amplians*, *Cauſſalis*, *Hypothetica*, *Copulativa*; *i*. (*x*) *i*, *Copulativa*, *Arguta*. (*y*) *Hypothetica*. (*z*) *Practica*, *i*, *Incluſiva*, *&* *Arguta*, *influens in ſcopum* [*Not.* 129.]

Cauſa ſtant Dil: Nam magnam Aſiæ partem eorum Numine in ditionem redegi meam, teque ipſum acie vici. Ergo mea Cauſa æqua eſt. Conſequenter [*Not.* 129.].

132. Problema [II. III. §. XXII. †.], & SCOPUS Orationis.

Digitized by Google

ſe expandere continuo [illegible]tatur (*Axiom.* 1.ᵒ); Elaſticus eſt (*Ex Definit.*ᵉ). Q. E. D. (*Not.* 132.) WOLFIUS [illegible] §. 801. *Log. lat.*

§. IV.

3.ᵒ (§. I.)

VERAM enimvero Orationem inventurus, VERAque METHODO contexturus, pene innumeras primum ideas concipiat ex aſſidua, & attenta ſelectiſſimorum Auctorum lectione (II.ᵃ II.ⁱ §. XVIII. *&* *Not.* 62.): conceptas conferat cum Natura (I.ᵃ II.ⁱ §. II., *&* I.ᵃ III.ⁱ §.§. VIII. XI. XII. XV.): & tamdiu ferat, donec omnino propriæ fiant, uberes, erumpentes, Completæ igitur, vel Adæquatæ (I.ᵃ II.ⁱ §. XL.): hinc pariat (II.ᵃ II.ⁱ §. *Cit.*), adeo tamen, ut ſingula exacte perpendat Vocabula, ſingulas Propoſitiones, ſingulos Syllogiſmos (II.ᵃ II.ⁱ, II.ᵃ III., II.ᵃ IV.ⁱ §. II.); Si hæc omnia ſint ad normam VERITATIS (II.ᵃ II.ⁱ §. XXV. *&* *ſeqq.*; II.ᵃ III.ⁱ §.§. LIX. XL.; II.ᵃ IV.ⁱ §. XX. *&* *ſeqq.*), & PRINCIPIORUM (§. V. L. I., *&* *Not.* 60.) connexa, ac ita quidem, ut Varia ſint, & Unum, quaſi Organici, pulchrique Corporis Membra, VERA erit Oratio, VERAque METHODO contexta (§. II.). Ceterum HORATIUM lege. Sunt enim cognitione digniſſima, quæ ponit in ARTE Præcepta. Nam quanti illa!

Sumi-

Digitized by Google

Sumite Materiam veſtris, qui ſcribitis æquam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus Ordo.

Sed Orationem, V.m que L.m perara-mus (§. I.). Itaque

S. D. G.

S. D. G.

LIBRI V.

FINIS.

SCHOLÆ
VERITATIS INQUIRENDÆ
LIBER VI.
DE
DISPUTATIONE*

*Parag. 16. Prol.

ANTECESSIO.

§. 1. QUIDAM aliquando deſciverunt a Natura homines, quos ergo Sphingios, Centauroſve dixeris, inter quos eminere cenſeo quotquot VERITATEM inventu impoſſibilem effutiere. SENSUS, dictitabant, ſunt fallaces, MENS breviſſima, HOMINES mendaces, Nullum adeſt VERITATIS CRITERION, Nullæ LEGES,

Digitized by Google

ces; Nulla principia. Ergo nulla de Rebus inveniri veritas poteſt.

§.2. Id genus Monſtra (§.1.) feruntur Cratylus, & Heraclitus, Arcesilas, & Carneades, pejor omnibus Pyrrho Eleus, Aristoteli ſynchronos. Pyrrhonis Sectatores multimode ſunt appellati, *Ephectici*, quia judicium omnibus de rebus ſuſpendebant; *Zetetici*, quia perpetuo Veritatis inquiſitioni animum intendebant; *Aporetici*, quaſi dubitantes; *Acataleptici*, quod nihil comprehendi poſſe docerent; a Pyrrhone demum *Pyrrhonici* (a). Hi nunc omnes græco vocabulo *Sceptici* dicuntur, quod latine redolet *Conſideratores*, h. e. ut loquitur Paulus II.^a ad Timoth. III.° 7.„ Semper diſcentes, & nunquam ad Scientiam Veritatis pervenientes „. Et horum Secta, vel doctrina *Scepticiſmus* audit.

(a) Cicero in *Accademicis* III. ſ. Genuensis in *Sceptic. Confut. parag.* c. 2. T. I. *Elem. Metaphyſ.* p. 285. 286. *Neapoli* 1760.

§.3. *Scepticiſmus* (§.2.) gradus habet ſuos. Sunt enim, qui plurima, ſunt qui aliqua revocant in dubium; & hi *Sceptici Moderati* dicuntur, & eorundem opinio *Scepticiſmus Moderatus*: Sunt qui omnia (§.§.1.2.), hique *Effrænes*, horumque inſania *Scepticiſmus effrænis*, vel *Pyrrhoniſmus Univerſalis*. Hunc ſine honore ſepultum excitarunt ab inferis Bælius, Sextusque Empiricus, quo judice nos latet, æternumque latebit, Utrum Res ita ſint, ut nobis apparent. Symbolam dederunt ſuam Huetii Libellus *de Imbecillitate Mentis Hu-*

 manæ,

Digitized by Google

mana, & MALEBRANCHII *de Inquirenda Veritate* Libri. Nam ille Revelatione, hic cuncta vidit in DEO. Oppugnarunt SEXTUM PETRUS DE VILLEMANDI, & WILLELMUS LANGIUS, BÆLIUM CRUSATIUS, HUETIUM MURATORIUS, MALEBRANCHIUM Omnes.

§.4. Etſi tantam effrænes Sceptici (§.3.) non mereantur laudem, ut cum iis in arenam deſcendamus, nam carent certis immotiſque Principiis (§.§.1.2.), queis initam ſemel controverſiam dirimere poſſimus; quia tamen hanc inter ceteros cauſſam ſuſcepit EMPIRICUS (§.3.), acutus, doctus, diſertuſque Patronus, qui quum VERITATEM inventu poſſibilem negat, tum Methodo, & Ratione negat, iccirco hanc Scepticorum veſaniam Nos etiam hoc Libro curare decrevimus.

§.5. Erit ergo de SENSIBUS, de MENTE, de AUCTORITATE, CRITERIO, LEGIBUS, PRINCIPIIS (§.1.), VERITATIS adeo, vel PHILOSOPHIÆ (§.XII.L.I.) POSSIBILITATE, EXISTENTIA, ORIGINE, PROGRESSU, FINE toto Opere, totiſque Viribus diſſerendum [133]. Concluſiones, quia priorum Librorum confirmationes, & fulcimenta poſteriorum, FUNDAMENTA vocabo. DIALOGIS denique, ut tamquam a præſentibus coram haberi ſermo videatur, Ad-

133. Adverſus eum omni rationum conatu pugnandum, qui, Scientiâ, Prudentiâ, Menteque ſublatis, quicquam aliud aſſeverat. HOSPES *in Sophiſta*.

Adverſantium argumenta afferam, & refellam, DISPUTATIONE inſtitutâ.

§.6. DISPUTATIO nimirum (§.5.) α. inter duos conficitur, qua privatim, qua publice, dilucidandis, acuendiſque Adoleſcentum ingeniis, β. quorum alter OPPONENS, γ. alter eſt RESPONDENS, δ. præſide ſemper ſollertiſſimo, graviſſimoque homine, qui æſtuantes Diſputantium animos componere, infinitamque quæſtionem finire acute, ſapienterque didicerit, ut Menalcam inter, atque Damœtam PALÆMON, utque MINUTIUS FELIX *in Octavio*. ε. Eſt ergo Diſputatio obſtinatiſſima Propoſitionum pugna & contradictio (II.ª III.ⁱ §. XXXVII.). Nam ſi RESPONDENS (γ.) defendit *A* eſſe Veram; OPPONENS (β.) oſtendere debet *A* eſſe falſam (§.*Cit.*), adeoque Veram *O* (§. *Cit.* & §. LX.) per *E I O* (II.ª IV.ⁱ §.VII.). Si RESPONDENS defendit *E* eſſe Veram, OPPONENS oſtendere debet *E* eſſe falſam, Veram igitur *I* per *A I I* (II.ª III.ⁱ §. XXXVII. ε.γ., §. LX., & II.ª IV.ⁱ §.VII.). Et ſic porro.

§.7. Munus igitur OPPONENTIS (§.6. β.) eſt invenire DICTUM, quo datæ Propoſitionis Veritas, vel Falſitas aut ſubito, aut per Analyſin illuceſcat, nedum non imminuto, ſed aucto ſemper, promotoque Maximo (II.ª IV.ⁱ §. §.VII, XIX. γ.). (*b*)

§.8. Munus RESPONDENTIS (§.6.γ.) eſt, OP-

(*b*) *Quod etiam in Rethorica obtinet in omni Argumento, Argumentorumque progreſſu, præſertim in Exornandi genere; alia tamen arte, aliiſque Principiis (Parag. V. L. I. & Parag. IV. L. V., Not. 85. at poſteriore ex duabus, typographico errore iteratis, & Not. 87.)*

PONENTIS Syllogiſmum (§.7.) ad verbum repetere : 1. Propoſitionem Veram concedere, Falſam negare, Æquivocam diſtinguere (II.ª III.ⁱ §.XX.4.) & diſtinctam altero ſenſu concedere, altero negare. 2. Si Præmiſſæ ſint veræ, at Conſequens non oriatur ab Antecedente ſuo; concedendæ ſunt illæ, & neganda Conſequentia (II.ª IV.ⁱ §.IV.). 3. Si Verum ſit Antecedens, at æquivoca Conſequentia, Conſequens ſcilicet certa ratione ab Antecedente profluat, aliâ non; diſtinguendum eſt Conſequens, & illinc concedenda, hinc neganda Conſequentia. 4. Si ſit Rethoricum Enthymema (II.ª IV.ⁱ §.X.), Antecedens autem certum immotumque, concedendum eſt, neganda vero Conſequentia, dandaque diſparilitas, nempe explicandum, cur Antecedentis, at non Conſequentis cohæreant Extrema [*Ex. ad* §. *Cit.* 4.]. 5. Quod ſi falſum ſit Antecedens (4.), occidit Adverſarius, tu vero viciſti. 6. Si Argumentum Principiis etiam OPPONENTIS repugnet, retorque ſagittam in Sagittarium primo, inde *directe* reſponde, tuam ab illius jaculo removens aſſertionem. 7. Si ſit Sophiſma (II.ª IV.ⁱ §.XXIII. *& ſeqq.*), ſummo illius detrimento, ac verecundia detegendum. 8. Poſtremo ſi Ratiocinium a quodam pendeat Principio, quod OPPONENTI ſit verum, re tamen falſum; nega *Suppoſitum*.

. §.9. At nunquam erit Diſputationi finis; niſi Diſputantium alteruter (§.6. β.γ.) alterum ad Principia perduxerit certa & immota (§.§. V. V. L. I.), & utrique communia (c).

FUNDAMENTUM I. (a)

SENSUS SUNT MEDIUM VERITATIS INVENIENDÆ (b).

D. Si Rerum Ideæ (I.ª II.ª §.II.), quas habemus (*Exper. Intern.* I.ª III.ª §.IX.), SENSUUM ope in nobis oriuntur, ſuntque Rebus omnino conformes; oppido SENSUS ſunt Medium Veritatis inveniendæ (§.VII. L. I.). Atqui Rerum Ideæ, quas habemus, SENSUUM ope in Nobis oriuntur, ſuntque Rebus omnino conformes. Ergo SENSUS ſunt Medium Veritatis inveniendæ (II.ª IV.ª §.XVII.). *Probo Minoris Primam Partem*. Si Rerum Ideæ, quas habemus, poſitis SENSIBUS in nobis ponuntur, male affectis male afficiuntur, ablatis auferuntur, SENSUUM ope in Nobis oriuntur (I.ª III.ª §.XIII. α.λ.). Atqui Rerum Ideæ, quas habemus, poſitis SENSIBUS in Nobis ponuntur, male affectis male afficiuntur, ablatis auferuntur. Ergo SENSUUM ope in Nobis oriuntur (II.ª IV.ª §.*Cit.*). *Probo Minorem*. Poſito OCULO, & aperto Corpora circumſtantia video, ablato, vel clauſo non video, male affecto male video (*Exp. Int.* I.ª III.ª §.IX., §.IV. L. I., I.ª IV.ª §.XXIV. *&* *Not.* 57.): Idem TACTU,

(c) *De caſtiganda Diſputatione* CICERO I. *de Finib.* 27. PLATO *in Gorgia*, *&* *Euthydemo* PICUS *de Hominis dignitate T. I. p.* 323. LOCKIUS *L. III. de Int. hum. C. X. Parag.* 7. MABILLON *de Studiis Monaſticis P. II. C. X. n. IV. V.*

(a) *Anteceſſionis Parag.* 5.

(b) CANUS *de locis IX.* 6. PETRUS *de* CROSA *Log. Syſtem. T. I. C. IV. p.* 44. GASSENDUS *T. I. Opp. lib. altero de Log. C.* 2. *&* 3. FICINUS *in Theat.* HUET *contra* PROCLUM *poſt deſin it.* 7. *Demonſtrat. Evangelicæ* LOCKIUS *T. II. de Int. Hum. L. IV. C. XI.* GENUENSIUS *in Scepticiſmo Confut. poſt Ontologiam.* MURATORIUS

Digitized by Google

RIUS Forze dell' Intendimento Umano. REDI T. I. Opp. pag. 1. & ſeqq. Venet. 1712.

TU, OLFACTU, AUDITU, GUSTUque experior: Ergo Rerum Ideæ, quas habemus, poſitis SENSIBUS, in nobis ponuntur, male affectis male afficiuntur, ablatis auferuntur, (II.ª IV.ª §. §.VIII. & XIX. 7.x.); conſequenter SENSUUM ope in nobis oriuntur [*Syllogiſmo 2.°*].

Hæc Pars iterum. Rerum Ideæ, quas habemus, aut creamus, aut habemus ingenitas, aut SENSUUM ope in Nobis oriuntur. Atqui non creamus, nec habemus ingenitas: Ergo SENSUUM ope in Nobis oriuntur (II.ª IV.ª §. XV.). *Probo Minorem*. Creare ſolus DEUS poteſt [*Per Princip. Ontol.*]. Ergo non creamus (II.ª III.ª §. LII. *, & II.ª IV.ª §. VIII.). Non Roſas hieme olfacimus, non Colores in tenebris videmus, nec, igne abſente, ignis virtutem ſentimus, & Florentiæ, ubi non fuimus, Ideâ caremus: Quo majora video, audio, olfacio, guſto, eo majores; quo minora, eo minores: quo magis attendo, eo clariores; quo minus attendo, eo obſcuriores in me experior Ideas [*Not. 57.*]: A Magiſtro grammaticas, philoſophicas, theologicas accepiſſe Ideas mecum ipſo ſentio [*Not. cit.*]: DEUM eſſe a Parentibus primum, eſſe vero omniſcium, omnipotentem, immenſum, æternum, infinitum, optimum a Præceptoribus hauſi: ac ita porro. Ergo Rerum Ideas non habemus Ingenitas (II.ª IV.ª §. XVI. *x*.).

Nunc

Digitized by Google

Nunc probo Minoris Partem alteram. Si Rebus nec aliquid detrahere SENSUS poſſunt, nec ſuperaddere; Ideæ, quæ SENSUUM ope in Nobis oriuntur [*Ex. I.ª P.ª*], ſunt Rebus omnino conformes. Atqui Rebus nec aliquid detrahere SENSUS poſſunt, nec ſuperaddere. Ergo Ideæ, quæ SENSUUM ope in Nobis oriuntur, ſunt Rebus omnino conformes [II.ª IV. §. XVII.].

Probo Minoris Primam Partem. Si aliquid a Rebus detrahere SENSUS poſſent; pari ergo ratione poſſent modo hanc, modo illam, modo omnes Rei datæ proprietates detrahere. Sed non poſſunt modo hanc, modo illam, modo omnes Rei datæ proprietates detrahere. Ergo aliquid a Rebus detrahere SENSUS non poſſunt [§. *Cit.*]. *Probo Minorem*. Si poſsent SENSUS modo hanc, modo illam, modo omnes Rei datæ proprietates detrahere; fieri igitur poſſet, fieretque ſemper, ut, Re data applicata SENSIBUS, nulla in Nobis oriretur Idea, Et Rei ejuſdem Idea multiplex nunquam ſibi conſtans. Atqui fieri non poteſt, nec umquam factum eſt, ut, Re data applicata SENSIBUS, nulla in nobis orіretur Idea, ejuſdemque Rei Idea multiplex nunquam ſibi conſtans [*Exp. Int.*]. Ergo non poſsunt SENSUS modo hanc, modo illam, modo omnes Rei datæ Proprietates detrahere [§. *Cit.*]; conſequenter aliquid a Rebus de-

tra-

trahere SENSUS non poſſunt [*Syll.ª 1.ª*]. *Probo Minoris ſecundam Partem*. Si aliquid Rebus ſuperaddere SENSUS poſſent; ex nihilo Rerum aliquid Rei producerent, nempe crearent [*Per Def. Creationis*]. Sed creare non poſſunt [*Per Princip. Ontol.*]. Ergo aliquid Rebus ſuperaddere SENSUS non poſſunt (II.ª IV.ⁱ §. *Cit.*).

Iterum ergo, ſi lubet. Si Rerum Ideæ, quas habemus, SENSUUM ope in nobis oriuntur, ſuntque Rebus omnino conformes, oppido SENSUS ſunt Medium Veritatis inveniendæ (§. VII. L. I.). Atqui Rerum Ideæ, quas habemus, SENSUUM ope in nobis oriuntur (1.ª *P.ª*), ſuntque Rebus omnino conformes (2.ª *P.ª*). Ergo oppido SENSUS ſunt Medium Veritatis inveniendæ (II.ª IVⁱ §. *Cit.*). Q. E. D.

SCHOLION

SENSUS ſemper veraces defendit EPICURUS, teſte BRUCKERO in ejus vita, cujus, & reliquorum hujus ſententiæ Philoſophorum argumenta huc redeunt: SENSUS judicare nequeunt; ergo nec falli. *Nego Conſequentiam*. An etiam falſo laborant *Suppoſito*? [*Anteceſs.* §. 8.]. SENSUS ſemper fallaces oſtendere conati ſunt Scepticorum Patroni EMPIRICUS *Pyrrhonicarum Hypothypoſeon L.ª I.ª C.ª XIV.ª L.ª II.ª C.ª VIII.ª; & adverſus Logicos n.ª* 414. *&c.*, MALEBRANCHIUS *L.ª I.ª de Inquirenda Veritate*, & HUET-

3.°

Digitized by Google

3.° *Cap.° commemorati Libri* [*Anteceſſ.* § 3.]. Hi tamen nequeunt præpoſitam demonſtrationem eludere. At moleſte GAMBINUS, & inſcite, ut plurima (Not. 8. 21. 34. 36. 37.), *Confuſas* SENSUUM Ideas omnibus paginis occinit, præſertim *Reflexione* XXXI.ª (quaſi inde fiant *diſtincta* ſola Mentis attentione, nullo SENSUUM adminiculo); Eaſdemque diſſimiles vocat ob SENSUUM diſſimilitudinem, *Reflexione* XXXII.ª Atqui SENSUS, contra GAMBINUM inſiito, ſunt ſimiles in omnibus quoad Eſſentialia, diſſimiles tantum quoad Modos (I.ª II.ⁱ §.§.XIV. XVI.). Ergo & Ideæ, quæ SENSUUM ope in omnibus oriuntur, ſunt ſimiles quoad Eſſentialia, diſſimiles tantum quoad Modos. Sed regerit: Brutorum Ideæ non ſunt Rebus conformes; Ergo nec Hominum. *Antecedens* autem, alioqui probandum, GAMBINUS non probat, quamquam illud demonſtraſſe audenter dicat. Verum ſi Brutum, & Homo in Animali conveniunt (I.ª II.ⁱ §.XX.), Animal autem eſt Ens, Vita, Senſuque præditum (I.ª II.ⁱ §.XVI.); Brutum, & Homo in Vita, Senſuque conveniunt, in Ideis adeo ex SENSIBUS ortis, ſi non omnibus, plerìſque, ſi non omnino, quodammodo (I.ª II.ⁱ §.XV.). Ceterum ſi longiſſime Homo præſtat pecori; Rethoricum Enthymema GAMBINI proportione caret [II.ª IV.ⁱ §.X., & I.ª IV.ⁱ §. V. (*c*)]. Tandem ego homo ſum, Brutum non fui,

(*c*) *Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Bruta non ſunt Rationalia; Ergo nec Homines.*

ut Brutorum Ideas in numerato habeam, ut forte GAMBINUS.

(d) *Anteceſſ. Parag.* 5.

DIALOGUS (*d*).

(e) *Anteceſſ. Parag.* 6. 7. 8.

OPPONENS (*e*). SENSUS ſunt Fallaces: Nam Remum in Aqua OCULI fractum referunt, quum re ſit integer. Ergo non ſunt Medium Veritatis inveniendæ (II.ª IV.ª §.XII.).

RESPONDENS (*e*): *Diſtinguo Epichirematis Primam Partem:* SENSUS ſunt Fallaces, ſi fuerint depravati, aut Objecta ob Medium, Magnitudinem, Diſtantias, alia, non ſint eiſdem proportionata, *concedo*, ſi tamen Objectorum proportio, illorumque integritas adſit, ſunt Fallaces, *ſub-diſtinguo:* Raro admodum, ac ita, ut eorum fallacia, ſi fallacia ſit, faciliſſime detegi, & emendari poſſit, *concedo*; ſecus, *nego Epichirematis Primam Partem, concedo alteram de Remo, & nego Conſequentiam*. Cannæ ipſæ muſicæ, ſi male affectæ fuerint, diſſonæ ſunt. Si Microſcopio uteremur ad videnda Corpora remota, vel Teleſcopio ea, quæ jacent in Maris fundo, riſu digni eſſemus, quia oportet, ut, queis utimur, Inſtrumenta & integra ſint, & proportionata Rebus. Igitur a ſimili (I.ª IV.ª §.V.) quoniam SENSUS Naturalia noſtra ſunt Inſtrumenta, ſi depravati ſint, vel minime proportionati Rebus, queis adhibentur, falluntur, ac fallunt, & jure quidem meritoque, noſque ridiculi eſ-

ſemus in Republica litteraria; ubi hujuſmodi SENSUS philoſophandi, h. e. Veritatis inveniendæ Medium diceremus. Fac tamen amabo, ut integri ſint, & proportionati Rebus, nuſquam decipientur (*Ex D.*^e^), aut, ſi forte decipientur, SENSIBUS ipſis, vel Mente eorum deceptio facillime detecta corrigetur. Exemplum de Remo frigidum eſt. Etenim nos aëre vivimus, aëre circumvolvimur, aëre agimus, ac patimur, non Aquâ. Quum igitur Aqua Medium non ſit actionibus noſtris idoneum; deſine mirari, ſi SENSUS reſpectu Corporum in Aqua deliteſcentium aliquando fallantur. Hæc vero fallacia, vel extrahendo Remum ab Aqua, vel advertendo, quod Solida ad contactum Fluidi undecumque cedentis nec frangi poſſint, nec inflecti, non detegitur modo, ſed evaneſcit. Ceterum Dioptrica docet (§.XXXVI. L. I.), Radios Lucis ex Aëre in Aquam tranſeuntes refrangi *ad perpendiculum*, emergentes *a perpendiculo* (*f*), refractos OCULUM percellere, refractam igitur Imaginem in Retina depingere. Videſis ergo, poſita Objectorum proportione, & SENSUUM integritate fallaces non fore; aut raro admodum, ac ita, ut facillime detegi eorundem fallacia, & emendari poſſit, adeoque Veritatis inveniendæ Medium dici queant aptiſſimum.

O. Atqui, poſitâ etiam Objectorum pro-

(*f*) *MUSSCHENBROEKIUS Elementor. Phyſic. Parag. 864. & Not. ad Parag. 866.*

proportione, SENSUUMque integritate, ſunt ſæpe Fallaces. Ergo nil ſolutum. *Probo Subſumptum*: Externorum Corporum Imagines in OCULO inverſæ depinguntur. Turris quadrata, ut rotunda refertur, Provehimur portu, terræque, Urbeſque recedunt. Ergo, poſitâ etiam Objectorum proportione, & SENSUUM integritate, ſunt ſæpe Fallaces (II.ª IV.ª §. XIV.).

R. *Diſtinguo Antecedens*: Hæc autem nulla SENSUUM Fallacia, ſed Opticâ fiunt (§. XXXVI. L. I.), *concedo*; ſecus, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Quoniam nempe perpetuis Opticæ Legibus Radii Luminis, quum OCULUM ſubeunt, decuſſantur, inde vero explicantur, & diriguntur; primo inverſam, inde rectam depingunt Imaginem.

Così induſtre Scultor d' immago eſpoſta
Viene in rame a intagliar le linee prime
Con ordin tal, che la ſembianza oppoſta
Dell' Idea sù la lama inverſa imprime,
Che intinta, e poi ſotto del torchio impoſta,
Quella per dritto in sù la lama eſprime.
Roveſcio nel ſigillo aureo diſegno
Tal retto imprime in sù la cera il ſegno (g).

Turris tunc apparet rotunda, etſi quadrata, quum eminus aſpicitur, quum ejus videlicet Diſtantia non eſt OCULO proportionata (R.ª 1.ª). Interim Opticâ conſtat, eo majora videri Objecta, quo ſub majori, eo minora, quo ſub minori Angulo conſpiciuntur.

(g) *Noſtratium decus* THOMAS CAMPAILLA *Adamo* XXVI. 93. *Legeſis* MUSSCHENBRO. *Elem. Phyſ. Parag.* 976.

Digitized by Google

tur. Atqui Turris diſtantis latera ſub minimo ac inſenſibili deferuntur angulo. Ergo latera hujus Turris non videantur opus eſt; appareat ergo rotunda.

Quum, Objecto moto, etiam Imago in OCULO locum mutet; Objectum in motu videmus, loco Imaginis in OCULO mutato (*b*). Sed in Navi, Curruve ſedentium OCULO Corpora circumſtantia mutant continuo locum. Ergo, licet immota, moveri appareant neceſſe eſt. Contra quum Navis motus, Naviganti communis, OCULO non deferatur; nec videtur. Hæc igitur omnia æternis Naturæ Legibus, nulla SENSUUM fraude vitioque fiunt.

(*b*) *VVOLFIUS Compend. Element. MATHES. Univ. Parag. 24. Optic. Legeſis PURCHOTIUM T. III. Philoſoph. Propoſit. XI. Opt. p. 181.*

O. Atqui SENSUUM fraude vitioque, non vero confictis Naturæ Legibus. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Tanta eſt SENSUUM fraus & levitas, ut ea repræſentent, quæ omnino non ſunt. Ergo SENSUUM fraude vitioque fiunt, non vero commentitiis Naturæ Legibus, quæ nuper accenſui (*Op.* 2.) (I. IV. §.V.). *Probo Antecedens*. In Collo Columbæ per aëra volitantis, in vitreo Newtoniano Priſmate, in Iride, Halone, Parhelio, Paraleſene, & Virgis videmus certe Colores, qui ibi non ſunt. Ergo tanta eſt SENSUUM fraus, & levitas, ut ea repræſentent, quæ omnino non ſunt (II. IV. §.XIV.).

R. *Nego Antecedens cum Conſequentia*. Quandoquidem Colores omnes Reflexionibus, Re-

fra-

fractionibuſque Luminis, OCULO intuente, naſcuntur; ubi illæ cum hoc, ibi Colores.

Nero ſembra lo Specchio in quella parte
Rifleſſo ove non fà di Raggi alcuni.
Forate, eſpoſte al Sol, candide Carte,
Pajon, che impreſſe ſian di punti bruni.
Col tor le aſprezze ſol, verrà, che l' arte
Di Specchio ad uſo il bianco Argento imbruni.
Appar, benchè abbia pura, e chiara l' onda,
Nera, l' acqua, qualor troppo è profonda (*i*).

Hæ autem Reflexiones, Refractioneſque Luminis adſunt in Priſmate, in Collo Columbæ adverſo ſole volitantis, in Iride, Halone, Parhelio, Paraleſene, & Virgis 134. Ergo & Colores.

(*i*) *CAMPAILLA XVI.* 110.

O. Iris,

134. IRIS eſt Arcus ille verſicolor, qui in Cœlo apparet, cum Sol a tergo ſpectatoris in Cœlo fulget, a parte anteriori nubilum eſt, ſimul cum pluvia intermedia (*a*). Septicolor eſt, Violaceo videlicet, Purpureo, Cæruleo, Viridi, Flavo, Aurantio, Rubroque contexta (*b*), quæ Iris *Primaria* dicitur, quam aliquando Iris altera, illi concentrica, ſed languidior, ſepticolorque, at inverſe, circumdat, & *Secundaria* dicitur. Oritur ex eo *Primaria*, quod Solares Radii incidant in guttulas labentis pluviæ, atque ex illis poſt duplicem Refractionem, & unicam Reflexionem ita erumpant, ut eorum plurimi, parallelli inter ſe, ſub Angulo, qui neque major ſit grad. 42. Min. 2., neque minor grad. 40. Min. 17., ad terreſtris ſpectatoris Oculum perveniant. *Secundaria* ex eo efficitur, quod Solares Radii in guttulas labentis pluviæ, parallelli inter ſe, incidant, ut eorum plurimi ſub Angulo grad. 54. Min. 7., alii ſub Angulo grad. 50. Min. 58. Secund. 39., ad Spectatoris angulum pertingant (*c*). Solem, Lunam, Planetas, Stellas Fixas ambiunt aliquando CORONÆ, vel

(*a*) *MUSSCHENBROEKIUS Elem. Phyſices Parag.* 1262.

(*b*) *Ac totidem ſunt in Priſmate Colores. Legeſis MUSSCHENBR. Parag.* 922.

(*c*) *FORTUNATUS Parag.* 4238. *Phyſ. Partic. MUSSCHENBROEKIUS Parag.* 1265.

HA-

O. Iris, Halo, Parhelium, Paraleſene, & Vir-

HALO. Sunt hi Circuli luminoſi memorata Sidera circumnectentes, interdum albi, interdum Iridis inſtar colorati, daturque unus, vel plures ſibi concentrici (*d*). Oritur autem HALO ex radiis ejus Aſtri, quod ille, Coronæ inſtar, cingit, quatenus in tranſitu per bullulas raræ nubis, quæ nos inter, ipſumque Aſtrum interjecta eſt, bis refracti, ſub certo Angulo Oculum noſtrum ſubeunt (*e*). Nonnunquam in Cœlo una cum Sole aliquot Spurii Soles apparuerunt, qui PARHELII appellantur, quia in propinquo fere a Sole viſuntur, aut quia ad aliquam ſimilitudinem Solis accedunt. Horum numerus variat. Aliquando enim unus, vel alter, interdum plures, uſque ad ſex conſpecti fuerunt Parhelii. Magnitudo Parheliorum eadem, ac veri Solis apparet. Figura a rotunditate ſubinde recedit. Fulgor plerumque languidior, quam in Sole, aliquando idem. Si autem multi adſunt ſimul, aliqui hebetes minus ſplendent, pallentque: illorum limbi Iridis inſtar coloribus tincti ſunt: Multi caudam longam a Sole averſam, ſubigneam, ubi ſpurio Soli adhæret, ſed aucto intervallo pallidiorem habent: alii cauda carent: cauda in circulo albo Orizontali exporrecta jacet. Parhelii ſpatio unius, duarum, trium, imo quatuor horarum, Sole ad diverſas altitudines elevato conſpecti fuerunt (*f*). PARALESENE eſt Luna Spuria, quæ præter veram quandoque in Cœlo conſpicitur. Tres ſimul Lunas viſas in Cœlo fuiſſe temporibus Cnei Domitii, & Caji Fauni Conſulum Plinius auctor eſt L. 2. hiſtor. Natur. Cap. 32. Tres quoque legimus apparuiſſe anno 1660., ſicut etiam duas ann. 1677., quarum altera, ſcilicet orientalior, quinquies fere major veræ Lunæ globo videbatur, eratque admodum lucida, ac præterea longâ veluti caudâ, Cometæ inſtar, inſtructa. Quatuor demum in conſpectum venere an. 1684. & duæ in Hungaria ann. 1729., eæque ſemiplenæ, ut refert P. Amort P. 3. Phyſ. Partic. cap. 3. (*g*). Porro quum Spurii Soles, tum ementitæ Lunæ ex veri Solis, veræque Lunæ radiis in nos ex nube ad id apta reflexis proveniunt (*b*). Tandem ſi eadem, quæ in Iride per Reflexionem Luminis in rorida nube Colorum apparentia fiat in directum porrecta: aut ſi Radii per anguſta foramina nubium tenues, intenti, diſtanteſque inter ſe diriguntur; repræſentatur in Aëre VIRGA (*i*).

(*d*) *MUSSCHENBROEKIUS Parag.* 1282.

(*e*) *FORTUNATUS Parag.* 4182. *MUSSCHENBROEKIUS Parag.* 1289.

(*f*) *MUSSCHENBROEKIUS Parag.* 1293. *& ſeqq.*

(*g*) *FORTUNATUS Parag.* 4311.

(*b*) *MUSSCHENBROEK. Parag.* 1299. *& FORTUNATUS Parag.* 4308.

(*i*) *FORTUNATUS Parag.* 4311. *CAMPAILLA IX.* 88.

& Virgæ *Meteora* 135. dicuntur *Emphatica*, quia non ſunt in Rebus, ſed tantum apparent (*k*). Ergo in Iride, Halone, Parhelio, Paraleſene, & Virgis videmus certe Colores, qui ibi non ſunt (II.ª IV.ª §.XIV.); tanta igitur eſt SENSUUM fraus & levitas, ut ea, quæ non ſunt, repræſentent (*Op.*ª 3.ª); Ergo & SENSUUM fraude vitioque fiunt, quæ nuper accenſui (*ib.*); adeoque SENSUS, poſita etiam Objectorum proportione, & eorundem integritate, ſunt ſæpe Fallaces (*Op.*ª 2.ª); Non ſunt ergo Medium inveniendæ Veritatis (*Op.*ª 1.ª). Q. E. D. (*Anteceſſionis* §.7.).

R. *Conceſſo Antecedente, nego Conſequentiam*; Iris, Halo, Parhelium, *&c.* dicuntur non eſſe quidem in Rebus, ſed apparere, non quod a SENSIBUS conficta, quid enim hæc fictio, niſi Creatio eſſet, quam cum tota Contingentium Natura pugnare non eſt qui deneget? ſed quia eorundem phænomena (*Not.* 135.) non ſunt conſtantia perpetuaque, ſed raro accidunt,

(k) FORTUNATUS Parag. 4221. Phyſic. Particular.

135. Dicuntur METEORA omnia Corpora ſublimia, inter Cœlum, Terramque verſantia, quæ in Atmoſphœra ſuſpenſa, natantia, mota, propulſa, incenſa, conjuncta, ſeparata, adſcendentia, vel deſcendentia, Phænomena qualiacumque excitant (*k*). ATMOSPHŒRA dicitur totum illud ſpatium, quod ab halitibus ex Terra erumpentibus circa Terram occupatur. Dicitur autem Atmoſphœra, nempe Atomorum Sphœra, quatenus halituum Corpuſcula ſunt, velut Atomi, exiliſſima, & circa Terram, Sphœræ inſtar, conglobantur (*l*). Demum appellantur PHÆNOMENA, vel Apparitiones, omnes ſitus, motus, mutationes, & actiones Corporum, quæ Senſibus obſervantur, ſive uno, ſive pluribus (*m*).

(k) MUSSCHENBROEK parag. 1179.

(l) FORTUNATUS Parag. 4038.

(m) MUSSCHENBROEK. Parag. 5.

dunt, ſubitoque evaneſcunt. Non itaque SEN-SUS, quæ non ſunt, repræſentant. Sunt adeo Medium inveniendæ Veritatis.

DIALOGUS II.

O. SENSUS nec circa Exiſtentiam, nec circa Rerum Eſſentias ſunt Medium inveniendæ Veritatis. Ergo nullimode (II.ª IV.ª §. §. XIV. XV. VIII. IX.). *Probo Antecedens*. Exiſtentia fluxa eſt: Eſſentias autem eſſe nobis ignotas fert palam in Scholis antiquum, certumque Proverbium. Ergo SENSUS nec circa Exiſtentiam, nec circa Rerum Eſſentias ſunt Medium inveniendæ Veritatis (§.§. *Cit.*).

R. *Concedo Antecedens explicandum, & nego Conſequentiam*. Quamquam Res nunc uno modo exiſtant, nunc alio (I.ª II.ª §. XII.); attamen quum exiſtunt hoc modo, non exiſtunt hoc alio (*Per Princip. Contradict.*). Quid igitur obeſt, ut SENSUS circa datum exiſtentiæ Modum, ceteroſque futuros ſint Medium inveniendæ Veritatis? Si ſit Eſſentia, tamquam anima, ex qua prodeant quæ ſunt in Re conſpicua, quæque, Re mota & fluente, perſiſtat, veluti Centrum in geneſi Circuli; dubio procul Eſſentiæ Rerum, ſi non omnibus, pleriſque, ſi non Humanarum, certe Divinarum (§. II. L. I.); ſunt prorſus, vel propemodum ignotæ. Si vero ſita ſit Eſſentia in Eſſentialium (I.ª II.ª §. XVI.) Primo, Ratione ſuf-

ſciente reliquorum (I.ª III.ⁱ §.XIV.), quod PERIPATETICIS, & WOLFIO video placuiſſe: Vel in Eſſentialium, Attributorumque aggregato, quod GENUENSIO; Eſſentias Rerum non eſſe nobis ignotas ex Generum, Specierumque diſtributione colligitur (I.ª II.ⁱ §. XIX., *& ſeqq.*). Sunt itaque SENSUS per Rationem (I.ª III.ⁱ §. XI.) quum circa Exiſtentiam, tum circa Rerum Eſſentias Medium inveniendæ Veritatis.

O. Atqui SENSUS nec circa Exiſtentiam, nec circa Rerum Eſſentias ſunt Medium inveniendæ Veritatis. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Circa *Senſibiles*, quas vocant, *Qualitates*, quæ, quum ad Exiſtentiam pertineant, tum ſunt Eſſentiâ faciliores, non ſunt Medium inveniendæ Veritatis. Ergo SENSUS nec circa Exiſtentiam, nec circa Rerum Eſſentias ſunt Medium inveniendæ Veritatis (II.ª IV.ⁱ §. XIV.). *Probo Antecedens*. Circa Sapores, Odores, Colores, Magnitudinem, Diſtantias, Pondera, *&c.* non ſunt Medium inveniendæ Veritatis. Ergo circa *Senſibiles*, quas vocant, *Qualitates*, Magnitudinem etiam, Diſtantias, Pondera, quæ quum ad Exiſtentiam pertineant, tum ſunt Eſſentiâ faciliora, non ſunt Medium inveniendæ Veritatis (§. *Cit.*). *Probo Antecedens*. Quod uni ſapidum, alteri inſipidum, quod uni odorum, alteri fœtidum, quod uni pulchrum, alteri deforme, quod puero magnum, viro parvum, quod forti leve, im-

belli

belli grave; quod ruſtico lene; delicato aſperum eſt, Diſtantiæ ad menſuram pollicis maximæ, ad menſuram Hexapedæ, vel Leucarum minimæ, *&c.* Ergo, niſi idem ſit ſimul, & non ſit, circa Sapores, Odores, Colores, Magnitudinem etiam, Diſtantias, Pondera, *&c.* non ſunt Medium inveniendæ Veritatis (§. *Cit.*).

R. Nempe quædam Rerum Determinationes (I.ᵃ II.ⁱ §. XIII. f.) ſunt nobis *abſolute*, quædam *relative* competæ, in ratione videlicet compoſita Rerum, SENSUUMque noſtrorum, *concedo* [136]; ſecus, *nego Antecedens cum Conſequentia*: Corporum Determinationes, quas *abſolute* novimus, ſunt Extenſio, Impenetrabilitas, Mobilitas, Diviſibilitas, Figurabilitas, Inertia, Gravitas, Elaſticitas, Attractio, & quæ ſunt ejus generis: *relative* Sapores, Odores, Colores, ac reliqua in Argumento propoſita.

Tutte nel Corpo Uman le Senſazioni
Un Senſo ſono del genere del Tatto,
Che tutte le ſenſibili impreſſioni
Ne' varj Organi ſuol ſon di Contatto;
E degli Obbietti eſtrinſeci l'azioni
Vengono col ſolo tocco a porſi in atto;
Ma perchè varj ha gli Organi, convienſi
Dir, che ſian varj in ſpecie, e molti i Senſi;

136. Quam diſtinctionem GAMBINUS *Reflexione XXXII.* f. ſeq. non advertit. *Confer Scholion ad Fundamentum I.*

Come il ſuono vocal, la cui natura
Altro non è, che un influir di vento,
Vario faſſi e moltiplice a miſura,
Ch' è vario, ov' entra il muſico ſtrumento;
E ſecondo di queſto è la ſtruttura
Diverſo forma armonico concento,
Sicchè vario animar può un fiato ſolo
Tromba, Flauto, Oboè, Piva, Uſignuolo:
Così le impreſſioni eſteriori
Fatte da i Corpicei Materiali,
Ch' altro non ſon, che mobili tremori
Svegliati da' lor tocchi univerſali;
Trovando in diverſi Organi ſenſorj
Conteſture diverſe, e ſpeciali
Fan varj SENSI; *onde l' eſſenza acquiſta*
TATTO, GUSTO, ODORATO, UDITO, E VISTA.
D' immenſa vampa il fumigante ardore
Ingrato nelle Nari odor produce,
Nel Senſo del Toccar ſveglia calore,
Certo amaro Sapor nel Guſto induce,
Dell' incendio all' Udito invia il fragore;
E va negli Occhj a generar la luce.
Così da un Corpo ſol moti diſperſi
Fan varj Senſi in Organi diverſi (l).

Saporum ergo, Odorum, Colorumque Ideæ pendent a textura particularum minimarum Res datas componentium, & a ſtructura SENSUUM; admirando CONDITORIS opificio. Atqui textura particularum minimarum Res datas componentium, puta Ma-

li,

(l) CAMPAIL-LA XVI. 8. & ſeqq.

ſi, Floris, Arboris, haud ſemper eſt eadem: Hominumque SENSUS nunc integri ſunt, nunc vero corrupti, nec in omnibus penitus iidem, ſed in diſſimili Ætate, & Temperamento diſſimiles. Ergo & diſſimiles Ideæ (*Confer Schol. ad Fundam. I.*). Quod ſane non SENSUUM, Rerumque defectum, ſed Mutabilitatem probat, & Singularitatem, quæ ſunt propriæ Individuorum Mundi (I.ª II.ⁱ §§.XII. XI.). Magnitudines etiam, Pondera, Diſtantiæ augeri ſimul, & minui nequeunt. Augentur porro, minuunturque hominum uſu, & poſſibilitate, nullo Veritatis detrimento.

O. Imo maximo; *& probo*. Quid hæc ſint præciſe, quanta, & qualia ſtabiliri nequit. Ergo maximo Veritatis detrimento (§. VII. L. I., *&* II.ª IV.ᵗ §.VIII.).

R. Perpauca nimirum ex *Qualitatibus Senſibilibus*, Magnitudines autem omnes, Pondera, Diſtantiæ quid ſint, quanta, & qualia ſtabiliri nequeunt *abſolute*, *concedo*; *Relative*, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Perpauca dixi. Nam Saccarum in integro GUSTU dulcedinem gignere, ut ergo dulce dicatur, Fel amaritudinem, Roſam cum Liliis odorem, Solem in OCULO lucem, ejuſque carentiam tenebras, *&c.* convenit inter omnes. Magnitudines vero quod attinet, præciſam *ex.c.* Cibi, Potuſve quantitatem ignoro. Id autem parumrefert, inquit ex LOCKIO (*m*) GENUENSIS (*n*), dum-

(*m*) *L. IV. de Int. Hum. C. XI. Parag. 8.*

(*n*) *In Scepticiſmo Confut. Parag. 22. p. 324. Elem. Methaphyſ. T. I.*

dum noſco eam alendo Corpori ſatis eſſe. Ceterum ut *abſoluta* Ideæ, modo Rebus congruant ſuis, nullum inferunt Veritati detrimentum, ita & *Relativa* (R.ª 2.ª, & §. VII. L. I.).

FUNDAMENTUM II.

MENS EST MEDIUM INVENIENDÆ VERITATIS (a).

D. Si Signa Rerum, Cerebro per Senſus impreſſa (*Not.* 17.), ſunt Rebus omnino conformia, & Perceptiones Signis illis omnino conformes, conſequenter & Ideæ (I.ª II.ª §. VII. 5.); eſt equidem MENS Medium inveniendæ Veritatis (§. VII. L. I.). Atqui Signa Rerum, Cerebro per Senſus impreſſa, ſunt Rebus omnino conformia (*F.*ª *I.*ª), & Perceptiones Signis illis omnino conformes (I.ª II.ª §. VII. 1.), conſequenter & Ideæ (§. *Cit.* 5.). Ergo MENS eſt Medium inveniendæ Veritatis (II.ª IV.ª §. XVII.). Q.E.D. (II.ª IV.ª §. XX. 1.).

Iterum hæc Minor. Si Perceptiones non eſſent Signis Rerum Cerebro impreſſis omnino conformes; eſſent ergo in poteſtate MENTIS & arbitrio & Perceptiones ejus, & Signa, & Ideæ hinc ortæ. Atqui non ſunt in poteſtate MENTIS & arbitrio Perceptiones ejus, nec Signa, nec Ideæ hinc ortæ: Enimvero poſito Igne, & applicato Senſibus, velimus, nolimus, non frigoris, non cujuſvis

alte-

(a) *B. THOMAS Qq. Variis Q. de Mente. FRANCISCUS ORANTIUS de Locis Catholicis l. 17. CANUS de Locis IX. 9. f. CUDVVORTHUS Syſt. Intellect. C. V. Sect. I. Parag. 76. 77. 95. ARISTOTELES de Anima L. I. C. 3. text. 66. & L. 3. cap. 5. text. 38. LOCKIUS L. IV. de Intell. Hum. cap. 17.*

alterius, ſed Caloris Idea tunc oritur in Nobis (*Exp. Int.*); poſito Sole, & applicato Senſibus, non tenebrarum, non cujuſvis alterius, ſed Lucis Idea tunc oritur in Nobis (*Exp. Int.*); annunciata morte amatiſſimi Parentis, vel inflicto in membris vulnere, non gaudii, non voluptatis, ſed conſtantiſſime Doloris, Triſtitiæque Idea tunc oritur in Nobis (*Exp. Int.* I.ª III.ⁱ §. IX. *&* *Not.* 57.); ac ita porro. Ergo Perceptiones ſunt Signis Rerum Cerebro impreſſis omnino conformes (II.ª IV.ⁱ §.§. XVII. XIV.); eſt itaque MENS Medium inveniendæ Veritatis (*D.ª præc.ª*).

Tandem Perceptiones, dum MENS Signa Cerebro impreſſa inſpicit, ſunt Signis illis omnino conformes, conſequenter & Ideæ (*Ex præc.*[bus]). Ergo *a pari* Perceptiones, dum MENS ſemetipſam inſpicit, ſunt ſibimet omnino conformes, conſequenter & Ideæ (II.ª IV.ⁱ § X.). Ipſa autem eſt Spiritus (§. XXVIII. L. I. *&* *Not.* 7.); Ergo & ſpiritalium Rerum eſt Medium inveniendæ Veritatis (§. VII. L. I., *&* II.ª IV.ⁱ §. VIII.); Ergo omnium (§. XXIII. L. I. *&* II.ª IV.ⁱ *Ex. ad* §. VIII. ¹.). Nullum ex his, inquit clariſſimus OBSERVANTIUM honos FRANCISCUS ORANTIUS (*b*), quæ creavit DEUS, Objectum eſt, quod humanum Intellectum, ſi ipſam & Objecti, & Intellectivæ partis naturam juſta libra penſemus, latitudine vincat: Et TERENTIUS *in Heautontimorumeno* IV.ª II.ª,

(*b*) *Loco nuper citato* (*a*).

Nil

Nil tam difficile eſt, quin quærendo inveſtigari poſſiet.

SCHOLION.

Et Viſus, & Auditus [ad rem CLEMENS STROMATEUS I.ᵒ (c)] confert ad Veritatem (*F.*ᵒ I.ᵒ), MENS autem eſt, quæ eam appoſite & naturaliter cognoſcit. Utroque igitur Fundamento claret, quænam ſit noſtra de Veritatis, & Idearum origine ſententia, nimirum illa eadem LOCKII, PLATONE itaque, CARTESIO, MALEBRANCHIO, WOLFIOque rejectis, rejiciendis aptius in Pſychologia (§. XXXIV. L. I.). Me tamen procurrere conantem GAMBINUS interturbat (*Not.* 8.). Hujus ego hominis neſcio, an plura ſint verba, quam menda. Etenim *Reflexione* XXVII.ᵃ opus eſſe decernit, ut MENTI in ipſo creationis inſtanti DEUS aliquam Ideam infundat, quia Quidquid exiſtit ſit omnimode determinatum oportet, *per Reflexionem* ejus XI.ᵃᵐ [*Conf. Not.* 21.]. At porro ſi Quidquid exiſtit, ut exiſtat, ſit omnimode determinatum oportet, Una tamen Idea MENTEM omnimode non determinat, ut patet; aut ergo una Idea in MENTE eſt inutilis, aut Quidquid exiſtit ſit omnimode determinatum non oportet. *Reflexione* vero XXVIII.ᵃ hac infuſâ divinitus Ideâ Corpuſculum in Utero Matris incluſum repræſentari dicit (dicit equidem, non demonſtrat), at obſcure: ſunt enim

(c) *Apud* CANUM *loco nuper cit.* (a)

enim debiles; quæ in illo fiunt, impreſſiones. Id quod ex harmonica Corporis, & Animæ conjunctione deſcendit, hæc autem ex Harmonia Univerſi, *Reflexione* XVIII.ª Sed a GAMBINO peterem, Hæc infuſa divinitus Idea cur non DEUM ipſum potius, vel ipſam MENTEM, quam organicum Corpus repræſentat? Et, ſi Corpus, cur non diſtincte potius, quam obſcure? Harmoniam vero inter Corpus, & Animam quum nominat, quid intelligit? illamne WOLFII, an *Influxum*? Si hunc; cur abutitur vocabulo? cur ad Infuſam Ideam confugit? Si WOLFII; næ ego ſtultus, qui diutine verſor cum homine, neque verba quæ profert, percipiente.

DIALOGUS.

O. MENS non efficit unquam; nec poteſt efficere conformia Rebus judicia. Ergo non eſt, nec eſſe poteſt Medium inveniendæ Veritatis (§. VII. L. I. & II.ª IV.ª §. VIII.). *Probo Antecedens*. Semper irretita Affectibus, vel Amore videlicet, vel Odio, vel Ira, Invidia, Philautia, vel aliis (*d*), non efficit unquam, nec poteſt efficere conformia Rebus judicia: Nam quum amat *ex. g.*, tenet Objectum amatum pæne divinum eſſe; contra quum odit, tartaris, diriſque dignum (*Exp. Int.*). Atqui ſemper eſt irretita Affectibus, vel Amore videlicet, vel Odio, vel Ira, Philau-

(*d*) A CICERONE relatis Tuſculanar. IV. & V.

Digitized by Google

tia, *&c.* (*Exp.Int.*). Ergo non efficit unquam, nec poteſt efficere conformia Rebus judicia (II.ª IV.ⁱ §. §. XIV. XII.).

R. *Tranſeat Major*, *&* *diſtinguo Minorem*: MENS eſt ſemper irretita Affectibus, quos exſtirpare poteſt, debetque, Veritatem inventura, *concedo*; ſecus, *nego Minorem cum Conſequentia*. Diximus, *Tranſeat Major*. Nam aliquando MENS, quamquam illaqueata Affectibus; Rebus conformia efficit judicia, licet interim pravas actiones (I.ª III.ⁱ §. XX. ..). Exemplum dat PHÆDRIA *in Eunucho* I.ª I.ª

.... O indignum facinus! Nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio.
Et tædet, & amore ardeo, & *PRUDENS SCIENS*,
VIVUS, *VIDENS*que pereo, nec quid agam ſcio.

Ceterum eſſe quidem Affectus falſorum judiciorum ſcatebram, ex utraque Experientia (I.ª III.ⁱ §. IX.) PHILOSOPHI (*e*), & quotquot ſunt TERENTIANÆ, PLAUTINÆque fabulæ demonſtrarunt. Sunt ergo naviter Veritatem inventuro exſtirpandi.

(*e*) *PLATO in Civili, & Protagora: PICUS de Hominis dignit. T. I. p. 314. MALEBRANCHIUS V. L. de Inquir. Verit. GENUENSIUS Log. I. 4. &c.*

O. Sed exſtirpari nequeunt. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Sunt enim appetitus, vel averſiones MENTIS, orti ex Boni, Malique perceptionibus, atque motivis (*Philoſophor. Conſ.*). Ergo exſtirpari nequeunt (II.ª IV.ⁱ §. VIII.); niſi MENTIS naturam evertas (*f*).

(*f*) *GENUENSIUS Propoſ. 63. Pſych.*

R. Qui MENTI non imperant, ſed parent; *concedo*; ſecus, *nego Antecedens*, *&* *diſtinguo Conſequens*: Exſtirpari nequeunt ita, ut nulli

ſint,

ſint; nulloque modo, *concedo*; ut MENTI non imperent, *nego Conſequentiam*. Quum MENS quoad Voluntatem (§. XVI. L. I.) ſit ſemper in appetitu poſita, unde electio boni, & fuga mali (*Exp. Int.*), In actibus autem hujus appetitus ſita ſit Affectuum natura (*Ex term.*); MENS eſt ſemper irretita Affectibus, quos hoc ſenſu exſtirpare nequit. Imo, præſertim poſt PRIMI HOMINIS Culpam (Not. 81.), ſunt in nobis Affectus „ inſtar vectium quarumdam, quibus mirifica in homine excitatur, aliturque magnarum rerum effectrix vis, nec ſine magnis Affectibus quidquam egregium, & præclarum leges umquam ab hominibus factum. Accedit, quod ne virtus quidem ulla in homine locum ſit habitura, qui impatiens ſit Affectuum. Deme enim Affectus, & Voluptatem, atque ægritudinem auferas neceſſe eſt: ita nullum erit reliquum Virtutis Subjectum „ (*g*). Hos autem Affectus non imperare MENTI, ſed parere Internâ Experientiâ docemur.

O. Sed imperant. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Invidus *alterius macreſcit rebus opimis*; *Res eſt ſolliciti plena timoris* Amor; Ira *furor brevis eſt*; *Quid non mortalia pectora cogit* Auri *ſacra fames*? h. e.

.. a ſuo piacer n' aggira
L' Odio, o l' Amor, la Cupidigia, o l' Ira (*b*).

Imperant ergo Affectus, non parent (II. IV. §. XIV.).

(*g*) *GENUENSIUS Schol. ad Propoſ. 63. Pſych. p. 308*

(*b*) *OLIMPIADE II. 5.*

R. Hi nimirum ſunt Affectus tumultuantes, ſive Perturbationes, quæ MENTI *in ſenſu compoſito* imperant, *concedo*; *in ſenſu diviſo* (II.ª II.ⁱ §. XXIV. ᶜ· ᵀ·), *nego Antecedens cum Conſequentia*. Ubi ſemel Affectus inſoleſcunt, Perturbationes fiunt, & MENTIS imperium excutiunt. At MENTIS eſt has in ortu ſuo præfocare: aut, ſi radicem infixerint, Affectibus Affectus opponere, donec, illis avulſis, æquabilitate fruatur.

I moti primi a moderar del Senſo
Te ſteſſo avvezza, e degl' iſtinti innati.
Sempre del tuo voler nega il conſenſo
Al corſo degli ſpiriti sfrenati.
Temprando a poco a poco il moto intenſo
Fa in abito mutar gli atti iterati,
E forti a divertir le paſſioni
Sveglia contrarj affetti, e a lor gli opponi.
Così talor chi di trattar diſegna
Con maeſtra armonia Cetra erudita,
A i moti addeſtra, e a poco a poco inſegna
L' ubbidienza a le ineſperte dita,
Sinchè con facil abito divegna
Le corde a paſſeggiar con man ſpedita,
Ed a deſtrezza tal giunge ei, che ſenza
Avvertirvi, le tocca in eccellenza (i).

(i) *CAMPAILLA XIX. 62. 63. Legeſis HORATIUM Epiſtolar. I. 2. ſ. SENECAM de Ira, deque Vita beata. LOCKIUM L. II. de Int. Hum. C. XXI. Parag. 53.*

DIALOGUS II.

O. MENS eſt erroribus obnoxia. Ergo non eſt Medium inveniendæ Veritatis (II.ª IV.ⁱ §. VIII.).

R. Ali-

R. Aliquando ; ſi nimirum obſcuris ; phantaſticis, vel chimæricis diſtineatur Ideis, *concedo*; ſi Claritate fulgeat, & diſtinctione Idearum, *nego*. Quandoquidem Error eſt falſa cognitio habita pro vera, vel vera pro falſa (*Per def. Err.*), Cognitiones autem ortæ ex chimæricis, phantaſticis, obſcuriſque Ideis ſunt falſæ, ex claris, diſtinctiſque veræ (I.ᵃ II.ⁱ §.XL.); erit MENS Erroribus obnoxia, quum ipſa voluerit (*k*).

O. Semper. Ergo nil ſolutum (II.ᵃ IV.ⁱ §. VIII.). *Probo Antecedens*. Eſt finita. Ergo ſemper erroribus obnoxia (§.*Cit.*).

R. *Conceſſo Antecedente*, *diſtinguo Conſequens*: Ergo ſemper errare poteſt, *concedo*; ſemper errat, *nego Conſequentiam* (R.ᵉ *præc.*ᵉ).

O. Semper errat; *& probo*. MENS Infinita nunquam errare poteſt, nec errat. Ergo contra MENS finita ſemper errare poteſt, & errat (I.ᵃ IV.ⁱ §.V.).

R. *Conceſſo Antecedente*, *nego Conſequentiam* (*Anteceſſ.* §.8.ᵘ). Quoniam Infinitas eſt ſimultanea & perpetua perfectionum omnium poſſeſſio (*l*); pugnat, ut MENS ſit infinita, & tamen aliquando erret, vel poſſit errare. Quia vero finitas (II.ᵃ II.ⁱ §.XXIV.ᶢ) eſt poſſeſſio perfectionum cum limite, non omnium ſcilicet, ſed aliquarum; pugnat, ut MENS ſit finita, & tamen ſine fine erret, h. e. ſemper. Ceterum Argumentatio laborat *Suppoſito* (*Anteceſſ.*

(*k*) *De cauſſis errorum* LOCKIUS *L. IV. c. XX.* PETRUS *de* CROSA *Log. Syſtem. T. I.* GENUENSIS *Log. L. I. C. 3. parag. 10. 11. &c.*

(*l*) BAUMEISTERUS *T. IV. def. 936. pag. 157. ſeq.*

teceſſ. §.8. [1]): Etenim Infinitum, & Finitum non ſunt Contraria, ut *A*, & *E* (II.ᵃ III.ⁱ §. XXXVII. [2]), ſed ut *A*, & *I* (II.ᵃ III.ⁱ §.§.XIV. XXXII.), nempe *Subalterna*, ut Scholæ loquuntur (*m*). 137.

FUNDAMENTUM III.

AUCTORITAS EST MEDIUM INVENIENDÆ VERITATIS (*a*).

D. Senſus, & Mens ſunt Media inveniendæ Veritatis (*FF.* I. II.). Sed AUCTORITAS eſt Mens, & Senſus, licet non tui, ſed aliorum (*Ex term.*). Ergo AUCTORITAS eſt Medium inveniendæ Veritatis (II.ᵃ IV.ⁱ §. VII.). Q. E. D. *Confer I.ᵃᵐ III.ⁱ* §. §. XV. XVI.

SCHOLION.

Hominum AUCTORITATEM, nam de hac ſpeciatim loquimur, duo faciunt, Artium, Scientiarumque Magiſtri, & Hiſtorici (*b*). Vera nos ab illis edoceri uſu, & experientia novimus: ab his, a pari (I.ᵃ IV.ⁱ §. V.). Sed eſt HISTORIA (§. III. L. V.) quintuplex, DIVINA, NATURALIS, ECCLESIASTICA, CIVILIS, & LITTERARIA. Quæ res narrat, quas DEUS Hominum ergo, & inter homines geſſit, DIVINA, ut SCRIPTURARUM noſtra. Quæ miranda

Mun-

(*m*) *BAUMEISTERUS parag. 234. Log.*

(*a*) *VVOLFIUS parag. 744. Log. & ſeqq. BAUMEISTERUS parag. 460. Log. GENUENSIUS Log. L. IV. C. 2. AMORT T. V. Philoſ. Princip. Critic. CANUS XI. 4. & 6. MABILLON de ſtud. Monaſtic. P. II. C. 8.*

(*b*) *An etiam & Teſtes? Sed inter hos, & Hiſtoricos illud tantum intercedit, quod ſingulare factum Teſtes in Judicio, vel extra, ore narrant; multa autem, & Conſpicua ſcribunt Hiſtorici (parag. III. L. V.).*

137. Quoniam Experientia, & Ratio SENSIBUS, ac MENTE nituntur (I.ᵃ III.ⁱ §. §. IX. XIII.); his (*FF. I. & II.*) illa confirmantur (§. §. *Cit.*), & hæc illis.

Mundi phænomena (*Not.* 135.), NATURALIS, ut PLINII illa. Quæ exordium, augumentum viciſſitudines Eccleſiæ, ECCLESIASTICA, ut *Annales* BARONII. Quæ varias Reipublicæ fortunas, CIVILIS, ut MURATORII *Annales Italiæ*. Quæ tandem Scientiarum, Scriptorumque fata, LITTERARIA, ut illa BRUCKERI.

DIALOGUS.

O. Homines falli poſſunt, & fallere: Ergo AUCTORITAS Hominum non eſt Medium inveniendæ Veritatis (§. VII. L. I. & II. IV. §. VIII.).

R. Aliqui, & in aliquibus, *concedo*; Omnes, & in Omnibus, *nego Antecedens cum Conſequentia*.

O. Omnes, & in Omnibus. Ergo nil ſolutum (II. IV. §. *Cit.*). *Probo Antecedens*. Omnes, & in Omnibus ſunt æque, & ſemper Homines. Ergo Omnes, & in Omnibus falli poſſunt, & fallere (§. *Cit.*).

R. Quoad eſſentialia, *concedo*; ſecus, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Quoniam AUCTORITAS vel Præceptorum eſt, vel Hiſtoricorum (*Schol. præc.*), Tum horum, quum illorum aliqui doctrinâ florent, & probitate (*Exp.*), Doctus autem falli, & Probus fallere *moraliter* non poteſt (*Not.* 63.); Doctorum, proborumque Hominum AUCTORITAS nec fallere, nec falli *moraliter* poteſt. Eſt adeo Me-

dium

dium inveniendæ Veritatis. Porro de Præceptorum AUCTORITATE nos ipſi, quum matura adoleverit ætas, ampliſſimi teſtes, Judiceſque ſumus. Ad Hiſtoricos autem quod attinet, primo videndum, QUIS ſit, ſecundo QUID, tertio QUOMODO narret (c). Veram ſcilicet Nos, qui etiam Homines ſumus, non dii, non crudi lateres, nec belluæ, Hiſtoriam dicimus, ſi AUCTOR ejus Doctus, Probuſque teſtis fuerit, & Oculatus 138.; vel, ſi Auritus, Domeſticus ſaltem, vel Coævus: Si nec Experientiæ, nec Rationi noſtræ (I.ª III.ª §. §. IX. XIII.), nec Sibi, nec Locis, Temporibus, Nationibus, Perſoniſque repugnet: Si mirabile quid, inſolitumque non proferat, ut *Velifer Currus* apud JOANNEM BLAEU *in fine deſcriptionis Hollandicæ*; Vel prolatum Oculati alii, acuti, probique Homines confirment: Si demum nudo, ſimplicique ſtylo rem enarret; ut hinc forſitan non iniquus in CURTIUM CLERICUS (d).

(c) *BAUMEISTERUS par. 414. Log. LOCKIUS L. IV. C. XIV. par. 6. & ſeqq.*

(d) *In Arte, poſtremis Capitibus.*

O. Atqui etiam Docti, Probique Homines falli poſſunt, & fallere. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Sit inſtar omnium EUSEBIUS. Hic ſane doctiſſimus, probiſſimuſque fuit (*Sapientum judicio*), & tamen ejus HISTORIAM GELASIUS dixit apocrypham (e). Ergo etiam pro-

(e) *Apud CANUM XI. 3. Argumento 25.*

138. Adeſt vir ſumma AUCTORITATE, & religione, & fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiſſe, ſed *vidiſſe*, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. CICERO *pro Archia*.

probi, doctique homines falli poſſunt, & fallere (I.ª IV.ª §. V. & II.ª IV.ª §. XIV.).

R. *Conceſſo Antecedente*, *nego Conſequentiam*. „ In EUSEBII HISTORIA ECCLESIASTICA ſatis GELASIUS oſtendit, cetera ſibi, ac Concilio placuiſſe, dum quædam diſplicuiſſe commonuit. Itaque ſi fabulam ABGARI 139., laudeſque ORIGENIS ab EUSEBIO demeres, digna ejus HISTORIA eſſet, cui fides omnino haberetur, præſertim ſi in ECCLESIÆ contra ARIUM pugna, non ab ARIO, ſed ab ECCLESIA ſtetiſſet. At in Chronicis admiranda fuit hominis diligentia, magnus omnino labor, varia, & pene incredibilis lectio, ac grave prorſus in lectionis varietate judicium. Sed ne illa quidem, quæ hic EUSEBIUS refert, vera ſunt omnia. At nihil eſt, ut idem ait EUSEBIUS, omni ex parte beatum. In opere, ut ita dicam, immenſo raro peccaſſe feliciſſimum fuit „ (*f*).

(*f*) *Ita de* EUSEBIO CANUS XI. 6., *&* *Nos cum* CANO.

139. Refert, aſſertque EUSEBIUS Epiſtolam ABGARI Regis ad JESUM CHRISTUM, & JESUCHRISTI divinum reſponſum ad ABGARUM. Has autem Epiſtolas Suppoſititias vocat CANUS & fabulam. At veras, & genuinas (II.ª II.ª §. XXX. γ. δ.) ERNESTUS GRABIUS *Spicilegio Patrum T. I. Sæculo I. p.* 6. 7. *Oxoniæ* 1698. Idem judicium habetur in *Annotationibus Variorum ad* EUSEBII HISTORIÆ *L. I. Cap.* 13. *p.* 37. *Cantabrigiæ* 1720. *Legeſis* CALMET *Dictionar. Hiſtor. Crit. verbo* Abgarus.

Digitized by Google

FUNDAMENTUM IV.

CRITERIUM VERITATIS INVENIENDÆ EST SENSUUM, MENTIS, ET AUCTORITATIS INTEGRITAS: HUJUS AUTEM INTEGRITATIS, INVENTÆQUE VERITATIS CRITERION EST EVIDENTIA (a).

(a) *GENUENSIUS Log. L. III. C. 3. Parag. 8. & ſeqq. GASSENDUS T. I. Opp. Philoſ. de Log. ſive L. altero C. 1. ad 6. MURATORI Forze dell' Intendimento Umano Cap. IV.*

D. Quia Teleſcopion eſt Inſtrumentum videndi, Calamus ſcribendi, Penniculus pingendi, Organa ſonandi; rectæ viſionis, ſcriptionis, picturæ, ſonique certiſſimus fio, ubi mihi de eorundem INTEGRITATE jam plane conſtiterit (*Exp. Int.*). Ergo ſimiliter quia Senſus, Mens, Auctoritas ſunt Inſtrumenta Veritatis (*F.F. I. II. III.*); inveniendæ ſine dubio Veritatis certiſſimus fio, ubi mihi de eorundem INTEGRITATE jam plane conſtiterit (II.[a] IV.[i] §.X.). Sed id, quo certiſſimus fio, eſt CRITERIUM (*Ex term.*). Ergo CRITERIUM Veritatis inveniendæ eſt Senſuum, Mentis, & Auctoritatis INTEGRITAS. Q. E. I.

Integra Teleſcopion eſſe, Calamum, Penniculum, Organa, rectam viſionem, rectaque perpatrata Opera; eximio quodam fulgore, quo abripior, Interna animi coactione, qua diſcrucior, dum illa Oculis cerno, pacata etiam Conſcientia, Sapientumque Conſenſu certiſſimus fio (*Exp. Int.*). Ergo ſimiliter Integros Senſus, Mentem, Auctoritatem, & indubias eſſe inventas Veritates,

eximio quodam fulgore, quo abripior, Interna Animi coactione, qua diſcrucior, dum hæc attentus intueor, pacata etiam Conſcientia, Sapientumque Conſenſu certiſſimus fio (§. *Cit.*). Sed hicce fulgor, hæc Animi coactio eſt EVIDENTIA (*Not.63.*). Ergo hujus Integritatis, inventæque Veritatis CRITERION eſt EVIDENTIA. Q. E. A.

SCHOLION.

Si Senſus valeant, ſi Mens ſit ſui compos, ſi Auctoritas docto, proboque Teſtenitatur, ſunt nobis Integri. Duplex eſt WOLFIO CRITERIUM, *Extrinſecum*, ſcilicet Logices Regulæ (*b*), & *Intrinſecum*, quod itidem duplex, Falſi quidem, quod eſt Prædicati cum Subjecto repugnantia, & Veri, quod eſt determinabilitas Prædicati per notionem Subjecti (*c*), quocum BAUMEISTERUS (*d*). At de WOLFIANO CRITERIO dicam 1.° quæ olim de Syllogiſmo LOCKIUS (*e*). Si Regulæ Logices eſſent Veri, Falſique CRITERION; ergo qui hanc Artem non didicere, certiſſimi numquam fuerunt Veritatis, aut Falſitatis alicujus. Quod & maximæ Hominum parti injurioſum eſt, & Experientiæ diſſentaneum. 2.° Sunt Propoſitiones falſæ, quorum Prædicatum Subjecto quidem non ineſt, at neque repugnat, ut „ Terentius ille latiniſſimus fuit Geometra „. 3.° Con-

(*b*) Parag. 545. Log.

(*c*) Parag. 524. 526. Log.

(*d*) Parag. 322. 330. Log.

(*e*) L. IV. de Int. Hum. C. XVII. parag. 4. ad 8.

fundit Veritatem Wolfius cum CRITERIO (*f*).

(f) Parag. 513. Log.

4.° Tandem ſint Logicæ Leges *Extrinſecum*, ſit *Intrinſecum* determinabilitas, vel repugnantia Extremorum; nonne de his omnibus EVIDENTIA judicabo? „ Patere tua Conſilia non ſentis? ajebat in Catilinam TULLIUS. Si illuſtrantur, ſi erumpunt omnia? Luce ſunt clariora Nobis tua Conſilia „. Summus, videlicet, Orator, non Logicæ Regulis, non determinabilitate Extremorum, ſed EVIDENTIA vera perditiſſimi hominis ſcelera demonſtrabat.

FRANCISCUS JACQUIER, Minimorum maximus, Regulas Logicæ pro CRITERIO ſtatuit (*g*). Quæſtionem audax non intellexiſſe proclamat, qui CRITERIUM in EVIDENTIA collocant. Is tamen invitus ſtat etiam pro EVIDENTIA. Ait enim in *R.ª ad 1.ᵐ Inſtantiam*: „ Itaque admittendas eſſe ponimus Propoſitiones EVIDENTES, & INDUBITATAS, ex quibus deinde Propoſitionibus per conſequentias legitimas latentem antea Veritatem eruimus „. Si Propoſitiones Evidentes ſunt Indubitatæ, iiſdemque Veritatem invenimus; ſunt igitur veræ. Sunt autem veræ, quia Evidentes. Eſt ergo EVIDENTIA CRITERIUM Veritatis. Dixerat in 1.ª *ad Obj.ᵐ R.ª*, Carteſianum illud „ Quidquid in Idea clara, & diſtincta relucet, verum eſt „ tamdiu fieri CRITERION, quamdiu per DICTUM DE OMNI (II.ª III.ª §. XV.) determinatur. Sed ille turpiſſime CARTESIUM cum

(g) P. 3. Log. c. 2. n. 6.

Wolfio (*h*) commiſcuit. At ignoſcendum eſt Jacquiero. Nam & Baumeisterus ipſe, & Wolfius eandem Mentis levitatem paſſi ſunt. Etenim ille ſcribit: „ Quæ evidentiam maximam habent, vel divina Auctoritate nituntur, de iis dubitandum non eſt „ (*i*). Si non dubitandum; ergo vera. Vera autem per evidentiam. Ergo veri criterion evidentia. Wolfius autem „ duo, inquit, in primis ſunt, quæ in omni Philoſophia hactenus deſiderantur, deeſt illa evidentia, *quæ ſola* aſſenſum gignit Certum & immotum „ (*k*). Triplex poſtremo evidentia, *mathematica*, vel *metaphyſica*, h. e. Mentis, *phyſica*, h. e. Senſuum, & *moralis*, h. e. Auctoritatis eſt Genuensio criterium (*l*).

(*h*) *Not. ad parag. 524. Log.*

(*i*) *Not. ad parag. 339. Log.*

(*k*) *Præfatione ad Logicam Latinam Francofurti, & Lipſiæ 1740. Similia repetit Not. ad parag. 88. Diſc. præl. Not. ad Parag. 2. Log. parag. 137. Not. ad parag. 270. &c. ut Evidens eſt, & Per ſe patet, utramque in toto opere paginam faciant.*

(*l*) *Log. L. III. C. III. parag. 9. Cæteras de Criterio ſententias affert idem ibid. par. 1. & ſeqq. & VOLFIUS par. 528 Log. & EMPIRICUS Pyrrhonic. hyp. l. 2. II. 4. & FERRARIUS T. & Q. Philoſoph.*

DIALOGUS.

O. Si evidentia eſſet Veritatis criterion; eſſe deberet omnibus, non tibi tantum, vel illi (*Per Princip. Ration. Sufficient.*). Non eſt autem omnibus, ſed tibi tantum, vel illi (*Schol. præc.*). Ergo non eſt Veritatis criterion (II. IV. §. XVII.).

R. Eſſe deberet omnibus, quorum Conſcientia eſt pacata, *concedo*; quorum Conſcientia eſt implicata affectibus, *nego Majorem*, & *diſtinguo Minorem*: Non eſt autem omnibus, quorum Conſcientia eſt implicata af-

fectibus; *concedo*; pacata; *nego Minorem cum Conſequentia* (*Dial.* 1.° *ad F. II.*).

O. At ſi EVIDENTIA eſt Veritatis CRITERION omnibus, quorum Conſcientia eſt pacata, nullis, quorum Conſcientia eſt implicata affectibus; non eſt ullimode Veritatis CRITERION. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum.* Omnium Conſcientia eſt implicata affectibus. Ergo nullis eſt Veritatis CRITERION (II.° IV.ⁱ §. VIII.). *Probo Antecedens.* Tuâ ſententiâ eſt implicata affectibus Conſcientia eorum, quibus EVIDENTIA non eſt Veritatis CRITERIUM: Et meâ quidem ſententiâ eſt implicata affectibus Conſcientia eorum, quibus EVIDENTIA eſt Veritatis CRITERIUM (*Per Princip. Ration. Suffic.*). Atqui omnes homines vel hinc ſtant, vel illinc (*Per Princip. Contradict.*). Ergo omnium Conſcientia eſt implicata affectibus (II.° IV.ⁱ §. VII.).

R. Atque ſummum eſt diſcrimen inter meam, tuamque ſententiam, *concedo*; ſecus, *nego Majorem*, & *conceſſa Minore nego Conſequentiam*. Ego enim te ad Senſum intimum provoco, & ad Senſum plebejorum, quorum Natura eſt purior, quique ſimplicius Naturâ ducuntur, & ad Senſum cujuſvis Reipublicæ, & ad ſenſum denique ECCLESIÆ, quæ eſt Infallibilis. Hi omnes in utraque quæſtione, *Facti* nimirum, vel *Juris*, Senſûs, Mentis, & Auctoritatis INTEGRITATEM, &

EVI-

EVIDENTIAM efflagitant. Quid tu? Laborras, Amice;

Dum ventum ad Verum eſt, ſenſus, moreſque repugnant,

Atque ipſa utilitas juſti prope mater, & aequi (m).

O. Atqui ſi eſt implicata affectibus Conſcientia eorum, quibus EVIDENTIA non eſt CRITERIUM, ſi ſenſibus, moribuſque repugnant; magis Conſcientia eorum, quibus EVIDENTIA eſt Veritatis CRITERIUM. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Eſt inter ceteros contra EVIDENTIAM WOLFIUS, eſt inter ceteros pro EVIDENTIA GENUENSIS (*Schol.° praec.*). Sed longe nimium præſtantior eſt Ingenio, Eruditione, Acumine, Scientiâ, Judicioque WOLFIUS GENUENSIO (*Ex eorundem Scriptis* I.° IV.° §.IX.). Ergo ſi eſt implicata affectibus Conſcientia eorum, quibus EVIDENTIA non eſt CRITERIUM, ſi ſenſibus, moribuſque repugnant; magis Conſcientia eorum, quibus EVIDENTIA eſt Veritatis CRITERIUM (II.° IV.° §. XIV.).

R. *Tranſeat Majoris pars prima, Tranſeat Minor, & nego Conſequentiam. Tranſeat Majoris pars prima*, quia WOLFIUS non omnino EVIDENTIAM improbat, ſed *inſufficiens* CRITERIUM vocat (n). Cur ita vocet, ille ipſe ſciverit. *Tranſeat Minor*. Nam meum non eſt, niſi ſummos Viros mirari tantum, & colere: *Nego tamen Conſequentiam*. Etenim GENUENSIS

(m) HORATIUS Satyrar. I. 3. ſ.

(n) Not. ad paragr. 528. Log.

 hac

hac de re doctrina vetuſtiſſima eſt; & Philoſophis certe acutiſſimis culta, ARISTOTELI, CARTESIO, MALEBRANCHIO. WOLFIANA autem nova, & ſingularis. Potuit ergo hic, non ille philautiâ decipi. Ceterum ego nec GENUENSIO moveor, nec WOLFIO, ſed VERITATE, quam mihi pientiſſimus DEUS dignatur infundere.

DIALOGUS II.

O. Si EVIDENTIA eſſet CRITERIUM Veritatis; poſitâ ſemel EVIDENTIA illico auferrentur lites, falſitas, erroresque, ut poſita Luce auferuntur Tenebræ (I.ª IV.ª §. V.). Non auferuntur autem, nec ablati unquam fuere (*Exp.*). Non eſt ergo CRITERIUM Veritatis (II.ª IV.ª §. XVII.).

R. *Conceſſa Majore, diſtinguo Minorem*: Non auferuntur defectu Hominum, non tamen EVIDENTIÆ, *concedo*; ſecus, *nego Minorem cum Conſequentia*. Quidam, licet abeſſet EVIDENTIA, ſuperbiâ moti, vel præcipitantiâ judicium ferre voluerunt, & hinc erraront (*Dial.* 1.º *ad F. II.*). Quidam philautiâ, aut perturbationibus aliis (*Dial.* *Cit.*), ceu oculis capti, EVIDENTIAM aut non viderunt, aut non videre ſimularunt. Et hinc concertationes æternæ; Hominum vero defectu, non EVIDENTIÆ.

O. Quia lydius lapis eſt Criterium Auri;

ri; poſito ſemel hoc lapide; auferuntur illico errores omnes, contentioneſque de ejus valore, ac Veritate ſubortæ (*Exp.*). Contra ergo quoniam poſitâ EVIDENTIA, non auferuntur illico lites, falſitas, erroreſque; non eſt CRITERIUM Veritatis (II.ª IV.ª §. X).

R. *Conceſſo antecedente*, *nego Conſequentiam* (*Anteceſſ.* §. 8.ª). Quæſtio de Auro eſt quæſtio Senſuum, & Lucri. Quæſtio de Veritate eſt quæſtio Mentis, & Gloriæ. Illa ergo facilior, hæc difficilior. Illa Affectibus Jure Gentium, vel Civili eximitur; Hæc, nullo coërcita Jure, perturbationibus hinc illinc liberrime, impuneque pertrahitur.

O. Eſt igitur EVIDENTIA CRITERIUM Inutile (II.ª IV.ª *Ex. ad* §. VIII.ª). *Probo Conſequentiam*. Nequit enim, etſi fulgeat, compoſitos ultro, citroque animos ad Veritatem allicere (*R.ª præc.*). Eſt igitur CRITERIUM inutile. (II.ª IV.ª §. VIII.).

R. Scepticorum animos, & delirantium, *concedo*; ſobriorum, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Nam ea duce Philoſophi Rem litterarum publicam incredibili Veritatum theſauro opulentiſſimam fecere.

FUNDAMENTUM V.

LEX INVENIENDÆ VERITATIS EST DUBITATIO (a), AT NON ILLA CARTESII (b).

D. Suſpenſio Judicii, donec affulgeat Criterium, eſt LEX inveniendæ Veritatis (II.ª III.ⁱ §. XXVIII., & F. IV.). Sed DUBITATIO eſt ſuſpenſio Judicii, donec affulgeat Criterium. (*Per ej. Def.*). Ergo DUBITATIO eſt LEX inveniendæ Veritatis (II.ª IV.ⁱ §. VII.). 140. Q. E. I.

Negare meridianæ Lucis exiſtentiam, ut rectius videas, non eſt Legem quamdam habendæ viſionis conſtituere, ſed ineptire velle, ac furere. Ergo negare certiſſimarum Veritatum exiſtentiam, ut rectius Veritatem invenias, non eſt Legem quamdam inveniendæ Veritatis conſtituere, ſed ineptire velle, ac furere (II.ª IV.ⁱ §. X.). In hac autem Negatione conſiſtit CARTESIANA DUBITATIO (*Ex ej. Scriptis*). Ergo LEX inveniendæ Veritatis non eſt, ſed ea CARTESIUS ineptire vult, ac furere. Q. E. A.

(a) *AUCTOR dirigendæ mentis Log. P. I. C. X. GENUENSIUS Lib. V. Log. C. VII. parag. 5. & ſeqq. BAUMEISTERUS parag. 335. Log. & ſeqq. FERRARIUS T. I. Philoſoph. Q. 2. & 3. LAMINDO PRITANIO B. G. P. I. C. VI.*

(b) *GASSENDUS T. III. Opp. Philoſoph. p. 255. & ſeqq. CUDVVORTHUS T. II. C. V. Sect. I. parag. 94. ad 97. FACCIOLATUS P. III. Log. C. 7.*

SCHOLION.

CARTESIUS itaque Philoſophiæ operam datu-

140. Forte ita eſt, forte etiam aliter; forti igitur animo, & diligenti ſtudio inveſtiganda res eſt, neque enim facile aſſentiendum. SOCRATES *in Cratylo f.e* Qui quærunt, niſi primo DUBITANT, ſimiles illis ſunt, qui quonam ire oporteat ignorant. ARISTOTELES III.° *Metaph. L. I.*

Digitized by Google

daturus ,, ſemel in vita de omnibus DUBITANDUM, inquit, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus [141]. Quin & illa etiam, de quibus dubitabimus, utile erit habere pro falſis, ut tanto clarius, quidnam certiſſimum, & cognitu facillimum ſit, inveniamus. Dubitabimus in primis, an ullæ res ſenſibiles, aut imaginabiles exiſtant. Dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro maxime certis habuimus, etiam de mathematicis demonſtrationibus, etiam de iis Principiis, quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota. Sic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes. Facile quidem ſupponimus nullum eſſe DEUM (oh ſcelus! oh dementia!), nullum Cœlum, nulla Corpora, Noſque etiam ipſos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum Corpus (c) ,, . Dulciſſime rerum,

.. a dubbj tuoi chi preſta ſede intera
Non ſa mai quand' è l' Alba, o quando è Sera (d).

Adamum ſuum a DUBITATIONE philoſophari auſpicantem inducit Carteſianus homo CAMPAILLA (e). Sed acerrimus in CARTESIUM GASSENDUS.

(c) *Principior. Philoſophic. P. I. a. 1. 2. 4. 5. 7. & Meditat. 1. & 2.*

(d) *OLIMPIADE I. 3.*

(e) *I. 47.*

141. Hæc quidem recte; at non ea, quæ ſequuntur.

O. Baculum curvum redditurus rectum, in contrariam partem inclinat; Architectus novum ædificium conſtructurus, primo vetus demolitur; Herodes divinum Infantem occiſurus, pueros omnes interemit; Reſpublica flagitioſum Civem caſtigatura, Legem in omnes ſancit; DEUS ipſe Sapientiſſimus (*Si licet Exemplis in parvo grandibus uti*) Generali Diluvio uſus eſt. Et Veritatem ergo inventurus vetera Judicia diruat, perimat, evellat, Generali DUBITATIONE indicta (II.ª IV.ⁱ §. §. X. XIV.).

R. *Conceſſo Antecedente, nego Conſequentiam* (*Anteceſſ.* §. 8. ⁱ). Dum Baculus ita incurvatur, reſpondet GASSENDUS CARTESIO, per rectitudinem tranſit, ſicque aſſueſcit ſeſe paullatim ad illam componere. Tu vero Menti dubiæ non per Veritatem facis tranſitum, ſed deflexæ in falſitatem impulſum verſus eamdem præbes, & ex curvitate parva, aut mediocri curvitatem maximam facis. Hactenus ille. Ideo Architectus, novum ædificium conſtructurus, primo vetus demolitur, quia ſecus nec Architecturæ legibus congruere (§. XXXVI. L. I.), nec ulla donari venuſtate poſſet. Herodes iratus, h. e. furore percitus (*Opp.ª 3.ª D.ⁱ I.ⁱ ad F.II.*), pueros omnes interemit. Iccirco Reſpublica, perniciosum Ci-

Digitized by Google

vem caſtigatura; legem in omnes ſancit, ne ſigillatim reliqui pejores fiant. Quia tandem *omnis caro corruperat viam ſuam ſuper Terram* (*f*); jure univerſali diluvio uſus eſt DEUS. Quum autem ſit contra Rationem (I.ᵃ III.ⁱ §. XIV.), ut Veritatem inventurus vetera omnia Judicia, etiam veriſſima, diruat, perimat, evellat, quod Carteſiana præcipit DUBITATIO (*Schol.ᵒ præc.ᵉ*); Carteſianam ego DUBITATIONEM & aſpernor, & averſor, & execror: ſoli enim Errores, non Veritates, Veritatem inventuro obſunt.

(*f*) GENESIS VI. 12.

O. Quamquam ſoli Homines peccarint, non Bruta, non Plantæ, nec Tellus; tamen univerſali Diluvio DEUS in Homines, in Bruta etiam, in Plantas, & in Tellurem ſæviit, licet ſemel. Ergo quamquam ſoli errores Veritatem inventuro obſint (*R.ᵉ præc.ᵉ*); omnia tamen anteacta Judicia ſunt Univerſali DUBITATIONE delenda, licet ſemel in Vita.

R. *Conceſſo Antecedente, nego Conſequentiam.* Ideo DEUS in Bruta etiam, in Plantas, & in Tellurem ſæviit, quia omnia erant immunda hominum abuſu & fœditate: *repleta eſt Terra iniquitate a facie eorum*, inquit MOSES (*g*). Quum vero omnia anteacta Judicia falſitate non ſcateant (*Ex hypoth.*), non ſunt ergo Univerſali DUBITATIONE delenda.

(*g*) GENESIS VI. 13.

O. Ideo DEUS in Bruta etiam, in Plantas, & in Tellurem ſæviit, quia omnia erant

im-

immunda hominum abuſu & fœditate (*R. prac.*). Ergo ideo omnia anteacta Judicia erunt Univerſali DUBITATIONE delenda, quia vel coinquinata erroribus, vel arctiſſimo fœdere intermixta.

R. *Conceſſo Antecedente*, *nego Conſequentiam*. Quemadmodum Lux nec poteſt coinquinari luto, nec, utut arctiſſime ceteris intermixta Corporibus, confundi: ita nec Veritates, fulgidiſſimo irradiante Criterio (*F. IV.*), licet arctiſſime intermixtæ Erroribus, coinquinari, vel confundi poterunt (I.ª IV.ⁱ §.V., *&* II.ª IV.ⁱ *Ex. ad* §. X. 1.).

DIALOGUS II.

O. Licet per Aſtronomos fingere in Cœlo falſa ac imaginaria pro veris, puta Æquatorem, Zodiacum, Tropicos, Coluros, *&c.*; licet per Geometras fingere etiam falſa & imaginaria pro veris, puta Superficiem ſine profunditate, Lineam ſine latitudine, Punctum ſine partibus. Contra ergo licet etiam per CARTESIUM fingere vera ac realia pro falſis & imaginariis (II.ª IV.ⁱ §. X., *&* XIV.).

R. Ex hac autem fictione aliquid utilitatis percipitur, at ex CARTESIO nihil, *concedo*; ſecus, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Diſcrimen eſt profecto maximum, alloquitur CARTESIUM GASSENDUS, inter tuam, & aſtronomicam ſuppoſitionem. Nam Aſtronomi

certum

Digitized by Google

certum quidpiam habent, obſervata nempe Planetarum loca, ac tunc, ut illorum cauſam explicent, circulos ſupponunt, non quos falſos putent, ſed quos, niſi veros, ſaltem veriſimiles habeant, cum fieri poſſit, ut Planetæ per illos incedant... At tu nihil certum tibi relinquis, ad quod ſupponendo collinees, & pro ſuppoſitionis Objecto, non aliquid verum, aut veriſimile, ſed ipſammet falſitatem habes. Hactenus Gallus cum Gallo. Ad Geometras vero quod pertinet, reſpondemus, fingi Punctum ſine partibus, Lineam ſine latitudine, Superficiem ſine profunditate, ut illud inde emolumentum capiamus, quod in omni Vita humana quantum ſit explicari pro dignitate non poteſt (*b*). Ex DUBITATIONE autem ad Axiomata protenſâ quid boni, quid utilis, quid jucundi? Quod ergo Aſtronomis, Geometriſque licet, non licet CARTESIO.

(*b*) *Lege* VVOLFIUM *Element. Mathes. Univ. parag.* 14. *Geometriæ.*

O. At etiam ex fictione CARTESII non aliquid modo, ſed multum utilitatis percipitur. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum.* Ex eo, quod Præjudicia cuncta, erroreſque deponimus, non aliquid modo, ſed multum utilitatis percipitur. Sed ex eo, quod per fictionem CARTESII omnia prorſus anteacta Judicia falſa ac imaginaria dicimus, ſtatim Præjudicia cuncta, erroreſque deponimus, ut patet. Ergo ex fictione CARTESII non aliquid

modo,

modo, ſed multum utilitatis percipitur (II.[a] IV.[i] §. VII.).

R. *Conceſſa Majore, diſtinguo Minorem*: Præjudicia cuncta, erroreſque deponimus, novo, fœdiorique Præjudicio nobis inuſto, *concedo*; ſecus, *nego Minorem cum Conſequentia*. Quid eſt profecto omnia prorſus anteacta Judicia falſa ac imaginaria fingere? Nonne prima etiam ratiocinandi Principia? At hæc habere ſuſpecta nec poſſumus, nec debemus. Non poſſumus ob mirificam claritatem ſuam. Non debemus, quia his ſemel abolitis, Veritati reperiundæ locus non ſupereſt ullus. An Veritas ex Falſitate oritur? An oritur ex Nihilo? Ex eo itaque, quod per fictionem Carteſii omnia penitus anteacta Judicia falſa ac imaginaria dicimus; Præjudicia, ſi Superis placet, erroreſque deponimus, fœdiori alio nobis inuſto. Carteſiani videlicet *dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt, ipſi ſe in plagas, & errores maximos induxerunt* (i).

O. Atqui ex eo, quod per fictionem Carteſii omnia penitus anteacta Judicia falſa ac imaginaria dicimus; Præjudicia cuncta; erroreſque deponimus, fœdiori alio minime nobis inuſto. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Præjudicium eſt judicium erroneum per præcipitantiam latum (k). Sed per fictionem Carteſii omnia anteacta Judicia, prima quoque Principia, falſa ac imaginaria

ſe.

(i) *Lactantius III. Præam. m. p. 373. ſ.*

(k) *Baumeiſterus parag. 333. Log. vel Judicium falſum: Et etymologice, Judicium latum, prius, quam ferendum eſſet.*

tenentes; & quidem ſemel, ac tantiſper, ne decipiamur a falſis ob conjunctionem cum veris, inde inſtituto examine, Criterioque duce vera a falſis ſecernamus; Præjudicia cuncta, erroreſque deponimus, novo aliquo erroneo judicio per præcipitantiam minime lato (*Ex term.*). Ergo ex eo, quod per fictionem CARTESII omnia penitus anteacta Judicia falſa ac imaginaria dicimus; Præjudicia cuncta, erroreſque deponimus, fœdiori alio minime nobis inuſto (II.ª IV.ⁱ §. XIV.).

R. *Conceſſa Majore, nego Minorem cum Conſequentia*. Quod enim Judicium magis hoc erroneum & præcipitantius, quam Veritatis inveſtigatorem falſitatem, aut nihilum pro fundamento ponere? Sed de hoc genere toto lege LAMINDUM PRITANIUM *de Moderamine Ingeniorum* (*l*).

(*l*) *L. I. C. 2.*

FUNDAMENTUM VI.

LEX ALTERA INVENIENDÆ VERITATIS EST LIBERTAS PHILOSOPHICA (*a*).

D. Propoſitio, qua omnino adhibendos in Divinis, Humaniſque Rebus inveſtigandis, non Auctoritatem dumtaxat (*F. III.*), ſed præcipue Mentem, Senſuſque noſtros exponitur (*F. F. I. II.*), eſt Præceptum, vel LEX inveniendæ Veritatis (*F.F. Cit.*, §. VII. L. I., *&* II.ª III.ⁱ §. XXVIII.). Atqui LIBERTAS PHILOSO-

(*a*) *SENECA de Vita beata C. 30. LACTANTIUS III. 7. GASSENDUS T. III. Opp. Philoſ. Exercitat. 2. paradox. ca adverſ. Ariſtoteleos n. 2. p. 105. JOAN-*

 PHICA

PHICA eſt Propoſitio, qua omnino adhibendos in Divinis, Humaniſque Rebus inveſtigandis, non Auctoritatem dumtaxat, ſed præcipue Mentem, Senſuſque noſtros, exponitur (*Per ej. notionem evolutam*). Ergo LIBERTAS PHILOSOPHICA eſt LEX altera (*F. V.*) inveniendæ Veritatis (II.ª IV.ⁱ §. XIV.). Q. E. D.

Quid verum atque decens curo, rogo, & omnis in hoc ſum.
Condo, & compono, quæ mox depromere poſſim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter,
NULLIUS ADDICTUS JURARE IN VERBA MAGISTRI.
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles.
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor.
Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor (b).

SCHOLION.

Quæ ſunt Auctoritate, h. e. Mente, & Senſibus alterius, ſive alterius Experientia, vel Ratione (*F. III.*, & I.ª III.ⁱ §. XVI.), definienda, definiantur porro (I.ª III.ⁱ §. XV., & *F. Cit.*). At quæ noſtris Senſibus, & Mente terminari poſſunt; cur alienis terminanda? Hæc aſſertio, ex. c., vera eſt. Quare? Quia PLATO, vel ARISTOTELES, THOMAS, vel SCOTUS veram eſſe dixere. Diſcrucior animi. Numquid ergo illi homines, nos autem ſili-

ces?

JOANNES PICUS de Homin. dignit. T. I. p. 324. ſ. VVOLFIUS C. 6. Diſcurſus Præliminaris ad Logicam. BAUMEISTERUS par. 336. Log. GENUENSIUS Appendice ad T. I. Elem. Metaphyſ. & Log. L. I. C. 6. FACCIOLATUS Log. Peripatetica P. 3. C. 8. p. 106. alias 109. HEINNECIUS Elem. Jur. parag. 49. BOERHAAVE Inſtit. Rei medic. Prolegom. parag. 15. HALLER in parag. 17. Inſt. rei med. BOERH. QUINCTILIANUS XII. 2. ſ. ſ. p. 611.

(b) *HORATIUS Epiſtolar. I. 1.*

ces? Quinque Senſus, & Mentem dedit illis miſericors DEUS, & totidem nobis eâdem miſericordiâ. At illi Eruditiſſimi: ajo. Celeberrimi: affirmo. Angelici: etiam. Subtiliſſimi: profectò. Ergone illi Principes, & nos ſempiterna eorundem mancipia? Toto capite annuit F. JOSEPHANTONIUS FERRARI (c). Ego tamen renuo, & LIBERTATEM clamito.

(c) Log. Diſſertat. Proœmial. Q. 4. p. 31.

DIALOGUS.

O. Quod Mentem philautiâ, ſuperbiâque imbuit, non eſt LEX inveniendæ Veritatis (*Dial.° 1.° ad F. II.*). Sed LIBERTAS PHILOSOPHICA Mentem philautiâ, ſuperbiâque imbuit. Ergo LIBERTAS PHILOSOPHICA non eſt LEX inveniendæ Veritatis (II.° IV.° §.VII.). *Probo Minorem*. Quod nos efficit Judiciorum noſtrorum amatores, noſque ceteris anteponit, Mentem philautiâ, ſuperbiâque imbuit (*Ex term.*). Sed LIBERTAS PHILOSOPHICA nos efficit Judiciorum noſtrorum amatores, noſque ceteris anteponit (*Per notionem ej. evolut.*). Ergo LIBERTAS PHILOSOPHICA Mentem philautiâ, ſuperbiâque imbuit (§. *Cit.*).

R. Quod nos efficit judiciorum noſtrorum amatores, noſque ceteris anteponit cæco Voluntatis impetu, Mentem philautiâ, ſuperbiâque imbuit, *concedo*; ob vim Criterii præfulgentis, *nego Majorem*. Sed LIBERTAS PHILOSOPHICA nos efficit Judiciorum noſtrorum ama-

amatores, noſque ceteris anteponit non cæco Voluntatis impetu, ſed ob vim Criterii præfulgentis, *concedo*; ſecus, *nego Minorem cum Conſequentia*. Quum omnes ſimus Mente, ac Senſibus inſtructi; omnes etiam Divinarum, Humanarumque Rerum Veritates inquirere, & invenire poſſumus (*F. F. I. II.*). Non erimus ergo ſic addicti WOLFIO, ut tantum WOLFIUS habeatur homo, nos autem pecudes. Sed Paſtor eſt CORYDON, & Paſtor THYRSIS, ac

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo;
Et cantare pares, & reſpondere parati (*d*).

(d) Ecloga VII, 4. 5.

Quamobrem quæcumque WOLFII judicia vera, præfulgente Criterio (*F. IV.*), detegimus, probamus, noſtriſque anteponimus: Siquod fortaſſe falſum, nam ille Deus non fuit, rejicimus, & noſtro poſtponimus.

O. Quamquam LIBERTAS PHILOSOPHICA nos efficiat noſtrorum Judiciorum amatores, noſque ceteris anteponat non cæco Voluntatis impetu, ſed ob vim Criterii præfulgentis; Mentem adhuc philautiâ, ſuperbiâque imbuit. Ergo nil ſolutum. *Probo Antecedens*. Aut enim credimus, nobis dumtaxat notum eſſe Criterium, noſque ſolum Criterio duci; Aut credimus, WOLFIO, ARISTOTELI, ceteris notum fuiſſe Criterium, Criterioque duce philoſophatos eſſe, & noſtra tamen judicia judiciis illorum præferenda. Si credimus, no-

bis

Digitized by Google

bis dumtaxat notum eſſe Criterium; noſque ſolum Criterio duci; decipimur philautiâ. Si vero Wolfio, Aristoteli, ceteris notum fuiſſe Criterium, Criterioque duce philoſophatos eſſe, & noſtra tamen judicia judiciis illorum præferenda; philautiâ decipimur, & ſuperbiâ. Ergo quamquam libertas philosophica nos efficiat judiciorum noſtrorum amatores, noſque ceteris anteponat, non cæco Voluntatis impetu, ſed ob vim Criterii præfulgentis; Mentem adhuc philautiâ, ſuperbiâque imbuit (II.ª IV.ⁱ §. XVIII.).

R. Credimus, Wolfio, Aristoteli, ceteris notum fuiſſe Criterium, Criterioque duce philoſophatos eſſe, non tamen ſemper. Criterium enim modo rerum defectu impliсatiſſimarum, modo defectu Corporis ſive ob inertiam ejus, ſive petulantiam, modo defectu Mentis vel deſtitutæ longo labore viribus, vel perturbationibus æſtuantis, abeſt. Abſente Criterio, Veritas abeſt (*F. IV.*). Abſente Veritate, adſunt errores (*R.ª* ɴ.ª *D.ⁱ*, *& F. II.*). Credimus igitur erraſſe aliquando & Wolfium, & Aristotelem, & omnes. Quare eorum Scripta cum oblectamento quidem, & admiratione legimus. At nullâ interim philautiæ, ſuperbiæque notâ, quæ vera, præfulgente Criterio, dignoſcimus, approbamus; ſiqua falſa, reprobamus, non quod Sophi ſimus, ſed Philoſophi (Not. 4.).

Digitized by Google

O: Quamquam LIBERTAS PHILOSOPHICA nos efficiat judiciorum noſtrorum amatores, noſque ceteris anteponat non cæco Voluntatis impetu, ſed ob vim Criterii præfulgentis, Mentem philautiâ ſemper, ſuperbiâque imbuit. Ergo nil ſolutum. *Probo Antecedens*. Aut credimus, nunquam a nobis abeſſe Criterium, nunquam igitur errare: Aut longe facilius a nobis, quam ab ARISTOTELE, WOLFIO, ceteris abeſſe Criterium, ſæpiuſque errare, & tamen noſtra judicia judiciis illorum præferenda. Si credimus, nunquam a nobis abeſſe Criterium, nunquam igitur errare; decipimur philautiâ. Si credimus longe facilius a nobis, quam ab ARISTOTELE, WOLFIO, ceteris, abeſſe Criterium, noſque ſæpius errare, & tamen noſtra judicia judiciis illorum præferenda; philautiâ decipimur, & ſuperbiâ. Ergo quamquam LIBERTAS PHILOSOPHICA nos efficiat noſtrorum judiciorum amatores, noſque ceteris anteponat non cæco Voluntatis impetu, ſed ob vim Criterii præfulgentis; Mentem philautiâ ſemper, ſuperbiâque imbuit (II.ª IV.ª §. XVIII.).

R. Credimus longe facilius a nobis, quam ab ARISTOTELE, WOLFIO, ceteris, abeſſe Criterium, noſque ſæpius errare; & tamen noſtra Judicia Criterio munita Judiciis illorum deſtitutis Criterio (*R.*ª 2.ª) ſine ulla perturbatione præferimus (*F. IV.*). Nimium

quip-

quippe inter nos, & Wolfium, pernimium intereſt. Ille quantus quantus nihil, niſi Sapientia eſt; Nos autem ſomnium. At ita nos Natura noſtra conſtituit, ut Poſteri noſtrum, Nos vero Majorum, etiam graviſſimorum, judices ſimus.

.. Ita quæſo, Dj voſtram fidem;
Itan' comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena melius ut videant, & judicent
Quam ſua? An eo fit, quia in re noſtra aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine? (*e).

(*e) *Terentius in Heautontimorumeno III. 1.*

FUNDAMENTUM VII.

PRINCIPIUM PRIMUM INVENIENDARUM VERITATUM EST, IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE, (a).

(a) *Peripatetici omnes, & Wolfiani in Ontologia.*

D. Quod eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, & ſine quo Veritas nulla inveniri penitus poteſt, aut inventa conſiſtere, eſt ſane PRINCIPIUM PRIMUM inveniendarum Veritatum (II.ª III.ʲ §. XXV.). Sed IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, & ſine quo Veritas nulla inveniri penitus poteſt, aut inventa conſiſtere. Ergo IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt ſane PRINCIPIUM PRIMUM inveniendarum Veritatum (II.ª IV.ʲ §. VII.). *Probo Minorem*. Illud, ſine quo nullæ Ideæ, nulla Vocabula, nulla Judicia, nullæ

Pro-

Digitized by Google

Propoſitiones, nulla Ratiocinia; nulli Syllogiſmi, nulla Oratio poſſunt ullimode eſſe cum Rebus conformia, eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, & ſine quo Veritas nulla inveniri penitus poteſt, vel inventa conſiſtere (§. VII. L. I.). Sed IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt illud, ſine quo nullæ Ideæ, nulla Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes poſſunt ullimode eſſe cum Rebus conformia. Ergo IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, & ſine quo Veritas nulla inveniri penitus poteſt, vel inventa conſiſtere (II. IV. §. *Cit.*). *Probo Minorem*. Illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes, Res omnes Nihil ſunt, eſt illud, ſine quo nullæ Ideæ, nulla Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes poſſunt ullimode eſſe cum Rebus conformia (*Per notionem Nihili* (*b*)). Sed IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes, Res omnes Nihil ſunt. Ergo IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt illud, ſine quo nullæ Ideæ, nulla Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes poſſunt ulli-

(b) *WOLFIUS parag. 57. Ontolog.*

mode

mode eſſe cum Rebus conformia (II.ª IV.ⁱ §. *Cit.*). *Probo Minorem*. Illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes, Res omnes ſunt, & non ſunt, Nihil ſunt: quemadmodum qui dat, & non dat centum aureos, nihil dat (*Exper.*). Sed IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes, Res omnes ſunt, & non ſunt (*Per notion. ej. inſpectam, & evolutam*). Ergo IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes, Res omnes, Nihil ſunt (II.ª IV.ⁱ §. XII., & §. XIX. ᵓ·ˣ·).

Synthetice autem ſic procedimus: Illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, Judicia, Propoſitiones, Ratiocinia, Syllogiſmi, Orationes, Res omnes ſunt, & non ſunt, Nihil ſunt: quemadmodum qui dat, & non dat centum aureos, nihil dat (*Exp.*). Sed IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, &c. ſunt, & non ſunt (*Per notion. ej. inſpect. & evolut.*). Ergo IMPOSSIBILE EST, &c. eſt illud, ſine quo omnes Ideæ, omnia Vocabula, &c. Nihil ſunt. Illud, ſine quo omnes Ideæ, Vocabula, &c. Nihil ſunt, eſt illud, ſi-

Digitized by Google

ne quo nullæ Ideæ, Vocabula, *&c.* poſſunt ullimode eſſe Rebus conformia (*Per not. Nihili*). Sed IMPOSSIBILE EST, *&c.* eſt illud, ſine quo omnes Ideæ, Vocabula, *&c.* Nihil ſunt (*Syllog.*° 1.°). Ergo IMPOSSIBILE EST, *&c.* eſt illud, ſine quo nullæ Ideæ, Vocabula, *&c.* poſſunt ullimode eſſe cum Rebus conformia. Illud, ſine quo nullæ Ideæ, Vocabula, *&c.* poſſunt ullimode eſſe cum Rebus conformia, eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, ſine quo Veritas nulla inveniri penitus poteſt, vel inventa coſiſtere (§. VII. L. I.). Sed IMPOSSIBILE EST, *&c.* eſt illud, ſine quo nullæ Ideæ, Vocabula, *&c.* poſſunt ullimode eſſe cum Rebus conformia (*Syllog.*° 2.°). Ergo IMPOSSIBILE EST, *&c.* eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, *&c.* Quod eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, *&c.* eſt ſane PRINCIPIUM PRIMUM inveniendarum Veritatum (II.ᵃ III.ⁱ §. XXV.). Sed IMPOSSIBILE EST, *&c.* eſt Veritatum omnino omnium fulcrum, *&c.* (*Syllog.*° 3.°). Ergo IMPOSSIBILE EST, *&c.* eſt ſane PRINCIPIUM PRIMUM inveniendarum Veritatum. Q. E. D. [II.ᵃ IV.ⁱ §.XIX.B.n. (c)].

(c) *Conferſis* BAUMEISTERUM *Parag.* 395. *Log.*

Sed breviſſima *Syntheſis* hæc erit: IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt Id, ſine quo Ideæ, & Res omnes ſunt, & non ſunt; Ergo Nihil ſunt; Nequeunt igitur Ideæ eſſe Rebus conformes; Eſt itaque Veritatum omnino omnium fulcrum; Adeo-

que

que inveniendarum Veritatum PRINCIPIUM PRIMUM (II.ª IV.ⁱ §. VIII.).

At *Analyſis* contra: IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE eſt inveniendarum Veritatum PRINCIPIUM PRIMUM. Nam eſt Veritatum omninò omnium fulcrum. Nullæ enim ſine illo Ideæ poſſunt eſſe cum Rebus ullimode conformes. Etenim Nihil ſunt. Sunt enimvero, & non ſunt (II.ª IV.ⁱ §.XII.). Ubi nempe deſinit *Analyſis*, ibi incipit *Syntheſis*. Quod nota.

SCHOLION.

Itaque hæc erat inſignis illa, & omni auro carior ARISTOTELIS Propoſitio *in IV.ª Metaphyſicorum* (*d*), Propoſitio Indemoſtrabilis, Axioma luculentiſſimum, PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS, Fons, & Firmamentum Veritatis. Dicitur autem PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS, quia, niſi ſit IMPOSSIBILE Idem ſimul eſſe, & non eſſe, poteſt ergo Idem ſimul eſſe, & non eſſe; ergo affirmari ſimul, & negari. Sed ſimultanea ejuſdem Entis affirmatio, & negatio eſt Contradictio (II.ª III.ⁱ § XXXVII. 2.); intelligis adeo, cur PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS appelletur. Hoc vero PRINCIPIUM expendunt in Ontologia Philoſophi. Noſtra tamen SCHOLA hoc eodem inveniendarum Veritatum Fundamento diutius carere non poterat [§. XX. L. I., & *Anteceſſ.* §. I. (*e*)]. CAR-

(*d*) *Conf. Not. 79.*

(*e*) *Lege VVOLFIUM Not. ad Parag. 29. Ont.*

TESIANI autem (f) *Quidquid in Idea Clara, & diſtincta relucet, verum eſt* modo PRINCIPIUM vocant, modo Criterion, neutro forſitan intellecto.

DIALOGUS.

O. Nullum PRINCIPIUM, quod ab alio pendet, ut verum ſit atque conſiſtens, eſt PRIMUM. Sed IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE ab alio pendet, ut verum ſit atque conſiſtens: Pendet enim a Criterio, quo tantum certiſſimi ſumus inveniendarum omnium, inventarumque Veritatum (*F. IV.*). Ergo IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE non eſt inveniendarum Veritatum PRINCIPIUM PRIMUM (II.ª IV.ª §. XII.).

R. Pendet a Criterio, ut Verum ſit, at Criterium ab ipſo pendet, ut ſit, *concedo*; ſecus, *nego Minorem cum Conſequentia*. Logica eſt SCHOLA Veritatis (§. XX. L. I.): Veritates inquirere, & invenire Mentis eſt Senſuum ope, & Auctoritatis (*F.F. I. II. III.*): Inveniendis autem, inventiſque Veritatibus fit certiſſima Criterio (*F. IV.*), ſine quo nullum umquam ferendum eſt Judicium (*F. V.*), noſtraque Judicia Criterio munita præponenda alienis deſtitutis Criterio (*F. VI.*). Hæc recta ſunt omnia. Sed hæc eadem ruunt, niſi ſit IMPOSSIBILE Idem ſimul eſſe, & non eſſe (*F. VII.*), ut Ædificiorum corruit moles Fundamen-

(f) *AUCTOR Artis Cogitandi P. IV. C. 7. Axiomate 1. THOMAS AQUINAS A NATIVITATE P. 3. Log. C. 1. Parag. 2. PURCHOTIUS Metaphyſ. P. 1. C. 4. p. 228.*

Digitized by Google

damento diſrupto (I.ª IV.ᶦ §. V.). Criterio igitur *certiſſimi ſumus* inveniendarum omnium, inventarumque Veritatum; at CONTRADICTIONIS PRINCIPIO (*Schol.ª praec.ᵉ*) *ſumus*. Nonne prius, longiſſimeque majus eſt *Eſſe*, quam *Certiſſimum eſſe*?

O. IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE pendet a Criterio, ut ſit Verum; Ergo non eſt prius Criterio. Criterion autem ab illo pendet, ut ſit (*R.ᵉ praec.*); Ergo eſt prius Criterio; Eſt itaque prius, & non prius (II.ª IV.ᶦ § VIII., *&* *ej. Ex.* ¹.).

R. Nempe eſt prius ratione PRINCIPII, de quo diſputamus. Non eſt prius ratione Criterii, de quo diſputavimus. Quemadmodum DAVID ad ISAI ſi referatur eſt Filius, ad SALOMONEM vero eſt ſine abſurdo Pater.

O. Atqui nec ratione PRINCIPII eſt prius Criterio. Ergo nil ſolutum. *Probo Subſumptum*. Ratione Veritatis non eſt prius Criterio: nam primo concipitur Criterio munitum, & hinc verum (*F. IV.*). Sed ratio PRINCIPII ſita eſt in ratione Veritatis: nec enim PRINCIPIUM non Verum poteſt eſſe PRINCIPIUM Veritatis. Ergo nec ratione PRINCIPII eſt prius Criterio (II.ª IV.ᶦ §. XII.).

R. *Conceſſa Majore* (*R.ᵉ* 1.ª, *&* 2.ª) *diſtinguo Minorem*: Sed ratio PRINCIPII ſita eſt in ſola ratione Veritatis, *nego*; ſecus, *conceſſa Minore nego Conſequentiam*. Quum Propoſitio-

nes Singulares ſint etiam veræ (II.ª III.ⁱ §. §. XXIX. LIX. LX.), ut ecce *Verres Siciliam populavit* (*F. III.*), non tamen PRINCIPIA (II.ª III.ⁱ §. XXV.); ratio PRINCIPII non in ſola Veritatis ratione, ſed in eo maxime conſiſtit, ut ſit Veritatum fulcrum & origo aliarum (§. *Cit.*), qualia ſunt Axiomata, Poſtulata, *&c.* (§. *Cit.*). Quoniam porro per PRINCIPIUM ARISTOTELIS etiam Axiomata conſiſtunt (*D.ª*, *& Schol. præc.*); PRINCIPIUM ARISTOTELIS eſt PRINCIPIORUM PRINCIPIUM, nempe PRIMUM (§. *Cit.*).

FUNDAMENTUM VIII.

PRINCIPIUM ALTERUM INVENIENDARUM VERITATUM EST „ NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE „ (*a*).

(*a*) *WOLFIUS Parag. 70. Ont. cum WOLFIANIS omnibus.*

D. Quod eſt Veritatum fulcrum, & origo eſt PRINCIPIUM inveniendarum Veritatum (II.ª III.ⁱ §. XXV.). Sed NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt Veritatum fulcrum, & origo. Ergo NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt PRINCIPIUM ALTERUM (*F. VII.*) inveniendarum Veritatum (II.ª IV.ⁱ §. VII.). *Probo Minorem*. Omne, quo intelligimus, cur noſtra Judicia ſint Rebus conformia potius, quam difformia, eſt Veritatum fulcrum, & origo, (§. VII. L. I.). Sed NIHIL EST SINE RATIONE

SUFFICIENTE eſt omne, quo intelligimus, cur noſtra Judicia ſint Rebus conformia potius, quam difformia. Ergo NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt Veritatum fulcrum, & origo (II.ª IV.ⁱ §. *Cit.*). *Probo Minorem*. Id, quo intelligimus, cur omnia ſint potius, quam non ſint, & hoc modo potius, quam alio, eſt Omne, quo intelligimus, cur noſtra etiam Judicia ſint Rebus conformia potius, quam difformia (II.ª IIIⁱ §. XV.). Sed NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt id, quo intelligimus, cur omnia ſint potius, quam non ſint, & hoc modo potius, quam alio [*Ex term.* (*Conf. Not.* 59. 79.)]. Ergo NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt omne, quo intelligimus, cur noſtra etiam Judicia ſint Rebus conformia potius, quam difformia (II.ª IV.ⁱ §. *Cit.*); eſt igitur Veritatum fulcrum, & origo (*Syllog.*ª 2.ª); inveniendarum ergo Veritatum PRINCIPIUM ALTERUM (*Syllog.*ª 1.ª) Q.E.D. (II.ª IV.ⁱ §. XIX. β. γ. κ.).

SCHOLION.

Atque hæc erat celeberrima Propoſitio, ARISTOTELI nota [*Not.* 79. (*b*)], LEIBNITIO promota (*c*), WOLFIO longe, lateque diſſeminata 142. Itaque jucunditate perfundor, quum recogito,

[b] *GENUENSIUS Schol. ad Definit. 90. Ontol.*

[c] *VVOLFIUS Parag. 7. Ontol.*

142. An autem Libertatem evertat non eſt hujus loci diſquirere. At GIUFFRIDAM interea (*Not.* 79.) in BAUMEI-

cogito ; quam pulcherrimum efficiant nodum Criterion , Contradictionis , RATIONISque PRINCIPIUM (*F.F. IV. VII. VIII.*), nodum ſcilicet triplicem, ruptu impoſſibilem. Aliquid exempli cauſſâ ponatur. Propoſitio „ Aurum eſt grave, flavum, malleabile „ Vera eſt. Hanc Veritatem invenit Mens ope Senſuum (*Schol.° ad F. II.*), reddit certiſſimam Criterion (*F.IV.*)

MEISTERUM Religionis zelo bacchantem (*a*) ferre non poſſumus. Primum ergo plebejis, quos ille citat, Philoſophis, quamquam hæc quæſtio non ſit Auctoritate, ſed Interna Experientia, ac Ratione decidenda (*F.VI., & Not. 57. 58.*); BERNARDUM opponimus, in Libro de Gratia, Liberoque Arbitrio (*b*) ſcribentem : „ Voluntas eſt motus *RATIONALIS*, & Senſui præſidens, & Appetitui. Habet ſane quocumque ſe verterit *SEMPER RATIONEM COMITEM*, & quodammodo pediſſequam, non quod ſemper ex Ratione, ſed quod *NUSQUAM ABSQUE RATIONE* moveatur, ita ut multa faciat per ipſam contra ipſam, hoc eſt quaſi per ejus miniſterium contra ejus Conſilium, ſive Judicium „. Hinc CICERONEM : „ At id ne Feræ quidem faciunt, ut ita ruant atque turbentur, ut eorum motus & impetus, quo pertineant, non intelligamus. Tu tam egregios viros cenſes tantas res geſſiſſe ſine *CAUSA* ? „ (*c*). Inde STOICOS : „ Voluntas ex definitione Stoicorum eſt quæ quid cum *RATIONE* deſiderat „ (*d*). Poſtea PICUM, cujus Concluſio 28.ª ex XLV. ſecundum Thomam eſt : „ Tota Libertas eſt in *RATIONE* eſſentialiter „ (*e*). LAMINDUM denique PRITANIUM *B. G. P.ª II.ª C. VI. p.ª* 93. *Non sà nulla neppure il rozzo Villano ſenza il ſuo PERCHE'*, *ſenza il ſuo fine*. Secundum etſi GRATIA EFFICAX ſemper Voluntatem ad agendum inclinet nutu ſuo; attamen non evertit Libertatem, quia Voluntas, licet non reſiſtat, poteſt illi reſiſtere (*f*). Ergo *A Pari* etſi RATIO SUFFICIENS ſemper Voluntatem ad agendum inclinet nutu ſuo; attamen non evertit Libertatem, quia Voluntas, licet non reſiſtat, poteſt illi reſiſtere (II.ª IV.ª §. X.). Quæ quidem, vel obiter dicta, tandem GIUFFRIDÆ ora obſtruant.

(*a*) *Diſputat. I. Scrupulo tertio.*

(*b*) *Sub initium p. 262. Pariſiis 1548.*

(*c*) *I. de Finib.* 34.

(*d*) *CICERO in Tuſculan. IV.* 22. *HUET in Alnetan. I. 2. ſub init.*

(*e*) *To. I. p.* 85.

(*f*) *Ex AUGUSTINENSIUM Opinione legimus.*

(*F. IV.*), firmat Contradictionis Principium (*Schol.ª ad F. VII.*), confirmatque RATIO (*F. VIII.*), ex his omnibus deſumpta. Nimirum: Propoſitio eſt Vera, cujus Judicium eſt Verum (II.ª III.ⁱ §. LIX.); Judicium eſt Verum, cujus Prædicatum ineſt Subjecto, ſi ſit Affirmativum (I.ª III.ⁱ §. XXI.). Sed Auro ineſt Gravitas, Flavedo, Malleabilitas [*ex Evidentia phyſica* (*Schol.ª ad F. IV.*)]; & quum ineſt, non ineſſe non poteſt (*F. VII.*). Ergo Propoſitio „ Aurum eſt grave, flavum, malleabile „ eſt Vera (II.ª IV.ⁱ §. XIV.).

DIALOGUS.

O. Propoſitio NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt falſa. Ergo non eſt PRINCIPIUM Veritatum. (II.ª IV.ⁱ §. VIII.). *Probo Antecedens*. Sunt Aliqua ſine RATIONE SUFFICIENTE. Ergo falſa (II.ª III.ⁱ §. LX., & II.ª IV.ⁱ §. *Cit.*). *Probo Antecedens*. RATIO SUFFICIENS eſt id, unde intelligitur, cur aliquid ſit, & hoc modo potius, quam alio (I.ª III.ⁱ §. XIV.). Atqui ſunt Aliqua eo deſtituta, unde intelligantur, cur ſint, & hoc modo potius, quam alio. Ergo ſunt Aliqua ſine RATIONE SUFFICIENTE (II.ª IV.ⁱ §. VII.). *Probo Minorem*. Cur Magnes attrahat Ferrum, cur Vitis amet Ulmum, cur Aquæ Maris bis inter duos exortus Lunæ affluant, biſque remeent vicenis, quaterniſque ſemper horis (*d*), non intelli-

[*d*] PLINIUS *Hiſtor. Natural. II. 97.*

telligitur. Ergo ſunt Aliqua ſine eo, unde intelligantur, cur ſint, & hoc modo potius, quam alio (II.ª IV.ⁱ §. VIII.); Ergo ſunt Aliqua ſine RATIONE SUFFICIENTE (*Syllog.*° 3.°); Ergo Propoſitio NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt falſa (*Syllog.*° 2.°); Ergo non eſt PRINCIPIUM Veritatum (*Syllog.*° 1.°). Q. E. D. (II.ª IV.ⁱ §. XIX. δ.β.κ., & *Anteceſſ.* §. 7.).

R. Cur Magnes attrahat Ferrum, cur Vitis amet Ulmum, cur Aquæ Maris bis fluant, biſque refluant, *&c.* non intelligitur a me, vel a te, *concedo*; a nullo omnino Philoſopho, nec a DEO, ita ergo, ut hæc nulla RATIONE fiant, *nego Antecedens cum Conſequentiis*. Æſtus Maris Lunæ prementi facile tribuitur (*e*); ſed quomodo Luna in Maris Aquas agat, & Magnes in Ferrum, cur Vitis amet Ulmum, *&c.* ego quidem, & tu forte non intelligimus. An ergo Philoſophorum nullus intellexerit? Nec DEUS? Abſurdum. Quamquam interea, quæ ſit hæc RATIO, neſciamus; ſcimus tamen, quod ſit. Fac enim non eſſe, tunc equidem Magnes non minus Ferrum, quam Animantia, quam Ligna, quam Lapides attrahet: quod Experientiæ repugnat. Cur itaque Vitis amet Ulmum, *&c.* ignoramus. At eſt RATIO, cur amet. Quemadmodum rudis, cur fiat Eclipſis, ignorat; eſt nihilominus RATIO, cur fiat.

(*e*) *FORTUNATUS Parag. 3913.*

O. Cur Vitis amet Ulmum, *&c.* non intelli-

telligimus (*R.ª præc.*). Ad Nos ergo quod ſpectat, ſunt hæc ſine RATIONE SUFFICIENTE (*Syllog.ª 3.ª Oppoſitionis 1.ª*) (II.ª IV.ⁱ §. VIII).

R. Cur Vitis amet Ulmum, *&c.*, non intelligimus, intelligimus autem extare hanc RATIONEM debere, cur amet, *&c.*, *concedo*; ſecus, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Niſi eſſet vera *diſtinctio*, fruſtra illis inveſtigandis ſudaſſent omni ævo Philoſophi. Nec eſt, nec erit, arbitror, qui interroganti, cur illa fiant, & quomodo, nulla RATIONE fieri reſpondeat; ſed eſſe Nobis ignota reſpondebit. Enimvero non intelligimus, quiſnam futurus ſit extremus noſtræ Vitæ dies; futurum tamen eſſe debere procul dubio intelligimus. Similiter ergo non intelligimus RATIONEM, qua illa fiant; debere tamen adeſſe intelligimus (I.ª IV.ⁱ §. V.).

O. Quoniam Recentiores non intelligunt *Materiam Primam* ARISTOTELIS, nec etiam intelligunt extare hanc *Materiam* debere (*f*). Ergo quoniam non intelligimus RATIONEM, qua illa fiant (*R.ª præc.*), nec etiam intelligimus extare hanc RATIONEM debere (II.ª IV.ⁱ §. X.).

R. *Conceſſo Antecedente, nego Conſequentiam* (*Anteceſſ.* §. 8. ..). Definiit *Materiam* ARISTOTELES non quid, non quale, non quantum, non aliquid eorum, quibus Ens determinatur; quid ſit ergo non intelligitur (I.ª II.ⁱ §. XII.).

(*f*) *CANZIUS Parag.* 740. *CLERICUS in Art. T. I. P. II. Sect. I. Cap. 9. Parag. 7. p.* 113. *ſ.*

Digitized by Google

XII.). Quod non intelligitur, nihil eſt [143]; ergo *Materia* ARISTOTELIS nihil eſt. Quid autem ſit RATIO SUFFICIENS intelligitur (*Syllog.° 3.° Oppoſit. 1.°*). Intelligitur etiam Nihil eſſe ſine RATIONE SUFFICIENTE, ſive Omne Ens habere RATIONEM SUFFICIENTEM. Etenim Omne Ens, habens id, unde intelligitur, cur ſit potius, quam non ſit, & cur hoc modo potius, quam alio, habet RATIONEM SUFFICIENTEM (*Syllog.° 3.° Oppoſ. 1.°*). Sed Omne Ens habet id, unde intelligitur, cur ſit potius, quam non ſit, & cur hoc modo potius, quam alio. Ergo Omne Ens habet RATIONEM SUFFICIENTEM (II.° IV.° §.VII.). *Probo Minorem*. Omne Ens, habens id, unde eſt, habet ſubito, unde intelligitur, cur ſit potius, quam non ſit, & cur hoc modo potius, quam alio (*Ex term.*). Sed Omne Ens habet id, unde eſt. Ergo Omne Ens habet id, unde intelligitur, cur ſit potius, quam non ſit, & cur hoc modo potius, quam alio (II.° IV.° §.*Cit.*). *Probo Minorem*. Omne Ens vel eſt A Se, vel ab Alio (*F.VII.*). Sed Ens A Se habet id, unde eſt, nempe Semetipſum; Ens ab Alio habet id, unde eſt, nempe illud Aliud. Ergo Omne Ens habet id, unde eſt (§.*Cit.*);

habet

143 Omnis clara, perſpicuaque notio Res eſt exiſtens, aut Veritas aliqua. Contra omne quod animus conſequi, & comprehendere nequit, id nihilum eſt, aut falſitas. CUDWORTHUS *Syſt. Intell. Univ. T.° II.° C.° V.° Sect.° 1.° §. XCV. m.° p.°* 883.

habet ergo; unde intelligitur (*Syllog.° 2.°*); habet adeo RATIONEM SUFFICIENTEM (*Syllog.° 1.°*); ergo NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE [*Ex term.* (II.ª IV.ⁱ §.XIX. 7.8.9.)]. Demonſtravimus ergo Propoſitionem, pro Theoremate ſumtam, quæ alias eſt Axioma [*Not.* 79. (*g*)] 144. Nimirum, Omne Ens eſt intelligibile, *abſolute* quidem, aliter non eſſet Ens (*Not.* 143.); minime vero reſpectu Noſtrum, nam ſumus homines, non Dii, *in via*, non *in termino*. Quamobrem etſi quorumdam phænomenorum (*Not.* 135.) RATIONEM incompertam habeamus; debere tamen adeſſe compertum habemus. RATIONEM, qua OVIDIUS relegatus ab URBE fuerit, vel Viri docti ignorant (*h*); fuiſſe tamen debere vel hebetes non ignorant.

(*g*) *VVOLFIUS Parag.* 75. *Ontol.*

(*h*) *MURATORI Annal. d' Italia T. I. pr.*

DIA-

144. GAMBINO autem (*Not.* 8.) ſit Axioma, an Theorema definiri non poteſt. Nam ille a ſeipſo perpetuo diſſidens, ſecumque diſcordans „ Principium appellat Fundamentale (*g*), quod tamen clare probari nequit. Hæc enim eſt primarum, ſimpliciſſumque Veritatum indoles, ut non ſint perfecte demonſtrabiles „. At porro GAMBINO *Primæ, Simplicesque Veritates* aut ſunt Axiomata, aut Theoremata. Si Axiomata; ergo nec perfecte, nec imperfecte demonſtrabiles (II.ª III.ⁱ §. XXI.). Si Theoremata; ergo perfecte demonſtrabiles (II.ª III.ⁱ §. XXII., & II.ª IV.ⁱ §. XVIII.). Hoc inde Principio differentiam ſomnii a Veritate Rerum oſtenſurus, ita ratiocinatur: „ Quoniam NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE; Ideæ ſomniantium ſunt mera phantaſmata „ (*h*). Sic autem ratiocinandum erat: Quoniam NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE; Ideæ ſomniantium nihil ſunt (*i*). Illud itaque fallax, hoc falſum.

[*g*] *Reflexione I.*

[*h*] *Reflex one Cit. f.*

[*i*] *BAUMEISTERUS Parag.* 33. *Ontol.*

Digitized by Google

O. Aut eſt aliquid ſine RATIONE SUFFICIENTE, Aut RATIONEM SUFFICIENTEM inveſtigaturo in infinitum eundum eſt. In infinitum eundum non eſt (*Philoſophor. Conſ.*). Ergo eſt aliquid ſine RATIONE SUFFICIENTE (II.ª IV.ⁱ §. XV.); conſequenter Propoſitio NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE eſt falſa (II.ª III.ⁱ §. LX.); non eſt itaque inveniendarum Veritatum PRINCIPIUM (*Ex term.*).

R. *Nego Minorem*. SUFFICIENTEM omnium RATIONEM acutiſſime, ut par eſſet, inveſtigaturus (§. XIII. L.I.), non in infinitum ibis, ſed ad DEUM pervenies. A Te Principium, cum VIRGILIANO DAMONE dixeris, Tibi deſinet (*i*). Nimirum DEUS eſt poſſibilium A, & Ω, Prima, & Ultima SUFFICIENS RATIO. Prima, quia ab ipſo cuncta proficiſcuntur. Ultima, quia ad Ipſum cuncta defæcata terminant. Nec igitur eſt aliquid ſine RATIONE SUFFICIENTE, nec eandem inveſtigaturo in infinitum eundum eſt.

(i) *Ecloga VIII. 11.*

O. Ad DEUM quum pervenero, vel invenero cum RATIONE SUFFICIENTE, vel minus. Si ſecundum; ergo eſt aliquid ſine RATIONE SUFFICIENTE. Si primum; ergo adhuc ultra inveſtigandum, & ſic porro in infinitum (II.ª IV.ⁱ §. XVIII.).

R. Ad DEUM quum pervenies, cum

RATIO-

RATIONE SUFFICIENTE invenies; eſtque, quin ultra progrediaris, ſua ipſius ESSENTIA.

O. Et ſua Ipſius ESSENTIA vel eſt cum RATIONE SUFFICIENTE, vel minus. Si primum; ergo adhuc ultra inveſtigandum, & progrediendum prorſus in infinitum. Si ſecundum; eſt igitur aliquid ſine RATIONE SUFFICIENTE (II.ª IV.ⁱ §.XVIII.).

R. Moleſtum percunctatorem! Sua Ipſius ESSENTIA eſt cum RATIONE SUFFICIENTE, reſpondeo; *Intrinſeca* vero, non *Extrinſeca*. Nam ſi Lux eſt peregregie RATIO, cur ipſa, & cetera videantur; longiſſime magis INFINITA ESSENTIA eſt Suimet, & Omnium SUFFICIENTISSIMA RATIO (I.ª IV.ⁱ §.V.).

FUNDAMENTUM IX.

VERITATUM CATENA RERUM OMNIUM, NEMPE PHILOSOPHIA (§.XII. L.I.), EST INVENTU, ADEPTUQUE POSSIBILIS PER MENTEM, SENSUUM OPE, ET AUCTORITATIS (*F.F. I. II. III.*), CRITERIO, DUBITATIONE ERGO, ET LIBERTATE DUCTAM (*F.F. IV.V.VI.*), CONTRADICTIONIS, RATIONISQUE INNIXAM PRINCIPIIS (*F.F. VII. VIII.*)(a).

SCHOLION.

Hoc Fundamento quatitur tota SEXTI EMPIRICI moles, MALEBRANCHII etiam, & HUETII (*Anteceſſ.* §.§. 3. 1.). Aut nihil certo,

(a) *AUCTOR Artis dirigendæ Mentis T. I. Cap. 5. Sect. 3. FERRARI T. I. Philoſ. Q. 1. Præliminar. FRASSEN T. I. Philoſoph. Q. 1. Prælimin. p. 2. ad 7. GASSENDUS T. I. Opp. Philoſ. L. altero de Log. fine. Cap. 2. & 3. ANTONIUS A CAVIS Metaphyſ. Tract. 1. Cap. 3. p. 108. &c. CANALI L. I. Diſput. 12. Q. 2. PTOLOMEUS p. 50. KRYSPER Prolegom. 1. Log. pag. 3. PONCIUS T. I. Philoſoph. p. 728. MASTRIUS in Log. p. 52.*

no,

Digitized by Google

no, aut illi cauſsâ cecidere. Nam Rationes eorum confutavimus (*Dialogis ad F. F. Cit.*); noſtras autem profligare non poſſunt. Utinam & effrænes Sceptici reſipiſcerent! (*Antecess.* § §. 1. 2. 3. 9.). Sed „ furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter „ (*b*). LACTANTIUM vero, licet hominem omni eloquentia inſtructum, *III.* tamen *Inſtitutionum Libro* in Philoſophos irruentem nihil pendimus. Etenim a quibuſdam erroribus, a quibuſdam Philoſophorum pugnis, a quibuſdam non inventis, nec forſan inventu poſſibilibus Veritatibus labem univerſæ Philoſophiæ crocodilinis ambiguitatibus aſpergit (II. IV. §.XXV.). Ceterum nec ſibi conſtat. Nam *ejuſdem Libri* 13. *cap.* ſcribit: „ Iccirco Oculos, & Aures, & ceteros Senſus patefecit in Corpore divina ſolertia, ut per eos aditus SCIENTIA perveniret ad Mentem „ (*c*).

(*b*) PSALMO LVII. 5. 6.

(*c*) *Pag.* 227. *Lipſiæ* 1735. *Legeſis eundem L. II. C.* 7. *pr.*

DIALOGUS.

O. Divinarum, Humanarumque Rerum omnium, earundemque cauſſarum Scientia non eſt inventu, adeptuque poſſibilis: Qui enim Intellectus percipere, quæ Memoria capere Cœlorum, Aſtrorum, Planetarum; Hominum, Brutorum, Plantarum, Foſſilium; Ful-

minis,

minis, Tonitrui; Ventorum, Imbrium; Terræ, Marium, reliquorum phænomena (*d*), rationes, nexumque valebit? (*e*). Atqui PHILOSOPHIA eſt Divinarum, Humanarumque Rerum omnium, & earumdem cauſſarum Scientia (§.II. L.I.). Ergo PHILOSOPHIA non eſt inventu, adeptuque poſſibilis (II.ª IV.ª §. XII.).

(*d*) [Not. 135.]

(*e*) *JOANNES FRANCISCUS PICUS Epiſtola ad ANTONIUM FAVENTINUM, inter Opera JOANNIS PICI T. I. pag. 311.*

R. Divinarum, Humanarumque Rerum omnium, & earumdem cauſſarum Scientia *adæquata*, & ab uno tantum homine non eſt inventu, adeptuque poſſibilis, *concedo* 145.; *completa*, & ab omnibus, Majoribus, Coævis, Poſteriſque. *nego Majorem*, *& conceſſa Minore*, *nego Conſequentiam*. Divinarum, Humanarumque Rerum, earumdemque cauſſarum *adæquata* Scientia non eſt inventu, adeptuque poſſibilis (I.ª II.ª §.XXXVII.); *completa* autem eſt inventu, adeptuque poſſibilis (I.ª II.ª §.XXXVI.) vel ab uno dumtaxat homine. Tam hoſpites enim ſumus in Re litteraria, ut, quanti fuerint, ignoremus, SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES, CICERO, ROGERIUS BACON, NE-

 WTON,

145. Meminerimus, ut Solonis more tamdiu diſcendum nobis eſſe cenſeamus, quamdiu vivendum. FICINUS *in Euthydemum pr.* Quoniam poſſibilium tantus eſt numerus, ut unus homo rationem omnium minime perſpicere poſſit, Philoſophus tamen non eſt, niſi qui rationem reddere poteſt eorum, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt; Nemo hominum in omnibus eſt Philoſophus. Immo ſi quis juxta hanc normam ſeipſum examinare voluerit, quam parum ſit Philoſophus intelliget. WOLFIUS *Diſc. præl. ad Log.* § 48.

WTON, LEIBNITIUS, WOLFIUS, SS.mi ECCL. PP.i, Doctiſſimi *Scholæ* THEOLOGI, & admirandus ille Juvenis, JOANNES PICUS, Mirandulæ, Concordiæque Comes? (*f*). Minimum vero quemadmodum in Ordine GRATIÆ „ alii quidem per Spiritum datur ſermo Sapientiæ, alii autem ſermo Scientiæ, alteri Fides, alii Gratia ſanitatum, alii Operatio virtutum, alii Prophetia, alii Diſcretio ſpirituum, alii Genera linguarum, alii Interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult „ (*g*). Similiter in Naturæ Ordine alteri LOGICÆ, alteri METAPHYSICÆ, alteri MATHESEOS, alteri PHYSICÆ, alteri MORALIS (§.XXXIX. L.I.) conceditur Scientia ab uno eodemque PHILOSOPHIÆ AUCTORE, Summoque Gratiæ, & Naturæ PRINCIPIO.

O. Atqui nec adæquata, nec completa, nec ab uno, nec ab omnibus eſt inventu, adeptuque poſſibilis PHILOSOPHIA. Ergo nil ſolutum. *Probo Sub-ſumptum*. Per diſpares, & inter ſe invicem digladiantes iiſdem de Rebus Philoſophorum ſententias nec adæquata, nec completa, nec ab uno, nec ab omnibus eſt inventu, adeptuque poſſibilis PHILOSOPHIA (*F.VII.*). Atqui diſpares, & inter ſe invicem digladiantes fuere de Rebus omnibus Philoſophorum ſententiæ, ſuntque [*Ex eorum Scriptis* (*h*)], eruntque (*F.VIII.*). Ergo.

(*f*) *Lege* PLINIUM *Hiſtor. Natur. VII.* 30. 32. 37. 38.

(*g*) I. CORINTH. XII. 17.

(*h*) *Inſignis hac de re Oratio* HERMIÆ *cujuſdam Philoſophi, quam Velitris olim in noſtra Bibliotheca inter Opera* JUSTINI *legiſſe memini.*

Ergo nec adæquata, nec completa, nec ab uno, nec ab omnibus eſt inventu, adeptuque poſſibilis PHILOSOPHIA (II.ª IV.ª §.XIV.).

R. *Conceſſa Majore*, *diſtinguo Minorem*: Nempe placuit ſemper in Scholis in utramque partem exercendorum Ingeniorum cauſſâ diſputando diſſerere (*Anteceſſ.*§.6.); Vel fuere, qui philautiâ, qui ſuperbiâ, qui amore partium, qui maleſuadâ contradicendi libidine id inficiati ſunt, quod, ſi cordati fuiſſent, inficiari non poterant, *concedo*; ſecus, *nego Minorem cum Conſequentia*. Ergo ſtatim, ac regnavit ARISTOTELES, regnare etiam in Scholis cœpit pro, & contra dicendi conſuetudo, ut juvenilia præſertim Ingenia acuerentur. Quo factum eſt, ut ſæpe verbo fuerint hoſtes, qui re abeſſent. Hunc itaque morem commendarunt Viri docti, ſpeciatim THEOLOGI. Sed ex virtute poſtea in vitium degeneravit. Nam alii TERENTIANUM illud *in Andria* (*i*), *Apprime in vita eſſe utile, ut ne quid nimis* (*k*), haud ſatis perpendentes, ex Philoſophis viſi ſunt Sophiſtæ (*l*). Alii perturbationibus abrepti, tamquam ex circæo poculo, facti ſunt beſtiæ. Quemadmodum vero Theologicorum dogmatum Veritas eſt inventu, adeptuque poſſibilis, etſi contra Paganis, Muhammedanis, Hæreticis oblatrantibus: ita & Philoſophicorum Veritas, etſi contra Sophiſtæ deſipiant, & furioſi (I.ª IV.ª §. V.).

(*i*) *I. 1.*

[*k*] *Quod virtutum omnium Regulam appellat PICUS de Homin. dignit. T.I. pag. 320.*

(*l*) *De quibus lege PLATONEM in Sophiſta. F.*

Ut adeo ex diſſidentibus Philoſophorum ſententiis PHILOSOPHIAM eſſe inventu, adeptuque impoſſibilem minime inferatur.

O. Infertur. Ergo nil ſolutum. *Probo Antecedens*. Ex quo unuſquiſque hominum de propria conqueritur ſorte, alienamque commendat (*m*), infertur oppido Beatitudinem in hac Vita inventu, adeptuque impoſſibilem. Contra ergo ex quo non Sophiſta tantum, & furioſus, ſed unuſquiſque Philoſophorum alienam oppugnat de re data ſententiam, propriamque commendat (*Ex eorum Scriptis*), infertur oppido VERITATEM in hac Vita eſſe inventu, adeptuque impoſſibilem (II.^a IV.^i §.X.).

(m) *LUCIANUS in Navigio T. II. Opp. pag. 491. Amſtelodami ex Typographia P., & I. Bleau. 1687. HORATIUS Satyrar. l. 1.*

R. Quoniam ſtulti tantum, non Sapientes de eo, in quo ſunt, ſtatu vitæ conqueruntur (*Exp.*); Stultis impoſſibilis, poſſibilis autem Sapientibus Beatitudo. Sed hæc alia Gentibus eſt, alia nobis. SENECÆ quidem Beata eſt Vita „ conveniens Naturæ ſuæ, quæ non aliter contingere poteſt, quam ſi primum ſana Mens eſt, & in perpetua poſſeſſione ſanitatis ſuæ. Deinde ſi fortis, ac vehemens, tum pulcherrima, & patiens, apta temporibus, Corporis ſui, pertinentium ad id, curioſa, non anxie tamen, Rerum, quæ Vitam inſtruunt, diligens ſine admiratione cujuſquam, uſura Fortunæ muneribus, non ſervitura „ (*n*). Virtus eſt etiam CICERONI *in Paradoxis*

(n) *De Vita beata L. unico Cap. 3. ſ.*

radoxis (*o*), & PLATONI *in Philebo*, & *Euthydemo* (*p*) 146. Nobis autem DEI Timor, & Mandatorum ejus obſervantia, *Beatus vir*, *qui timet Dominum*, *in Mandatis ejus volet nimis* Ps. CXI. 1. *DEUM time*, *&* *Mandata ejus obſerva*, *hoc eſt enim omnis homo*, inquit ECCLUS *poſtremo Capite*, & *verſu* (*q*). At in æterno Regno DEI ejuſdem Gloria: *Satiabor*, *quum apparuerit Gloria tua* Ps. XVI. 15. Quoniam rurſus rudes tantum, ſuperbique Philoſophi alienam oppugnant, propriamque commendant de Rebus ſententiam, Sapientes autem, in primis WOLFIUS, Sapientibus ceteris, Sapientumque Magiſtris, Experientiæ, & Rationi (I.[a] III.[a] §.§. VIII. IX. XIII.) concordare ſtudent; rudibus, ſuperbiſque Philoſophis impoſſibilis inventu CATENA VERITATUM (§. XII. L.I.), Sapientibus autem omnino poſſibilis (*r*).

(*o*) *Paradoxo II.*

(*p*) *Legeſis JACQUIER T. VI. Philoſoph. Moral. P. I. Cap. 3. pag. 124. & ſeqq.*

(*q*) *Legeſis HABERT T. VIII. de Actib. Human. Cap. 6. Q. 2. ſ. pag. 164. 165.*

(*r*) *Lege CANUM de Locis IX. 9. DUHAMELIUM Phyſic. general. Tract. I. C. 2. p. 12. FICINUM in Theat. ſ. ſ.*

FUNDAMENTUM X.

PHILOSOPHIAM DEUS INFUDIT ADAMO, PRIMO HOMINUM PATRI (*a*).

D. „ DEUS creavit de terra hominem, & ſecundum Imaginem ſuam fecit illum. Creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi. Conſilium, & Linguam, & Oculos, & Aures, & Cor dedit illis excogitandi, & Diſciplina Intelle-

(*a*) *B. THOMAS I. P. Q. 93. Artic. 3. CHRYSOSTOMUS homil. 14. in II. GENES. CALMET in II. GENES. Verſ. 7. FRASSEN T. I. Philoſ. Q. 2. Proœmial.*

146. Virtutes dum propter ſe appetuntur, ſuperba vitia ſunt. B. AUGUSTINUS *de Civit.* XIX. 25.

Intellectûs replevit illos. Creavit illis Scientiam Spiritûs. Senſu implevit Cor illorum & bona, & mala oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper Corda illorum oſtendere illis magnalia Operum ſuorum „ Eccli xvii. Sed Diſciplina Intellectûs eſt Logica (§.XIX. L.I.), Scientia Spiritûs Metaphyſica (§.XXXIV. L.I.), Scientia Senſûs, Operumque divinorum Phyſica, & Matheſis (§. §. XXXIV. XXXV. XVXVI. L.I.), Boni, Malique Scientia eſt Moralis (§.XXXVII. L.I.), h.e. philosophia univerſa (§.XXXIX. L.I.). Ergo philosophiam DEUS infudit Adamo (II.ᵃ IV.ⁱ §. XIV., I.ᵃ III.ⁱ §.XVII., *&* *Not.*3.). Q. E. I.

„ Fecit (DEUS) ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem Terræ „ (*ACTOR.* X*VII.*26.). Sed ex Adamo DEUS fecit omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem Terræ (*Ex GENESI*). Ergo unus ille, ſive primus hominum pater, Adamus fuit (§.§. *Cit.*). Q. E. A.

SCHOLION.

Occidunt ergo Isaacus Peyrerius, *Præ-Adamita*, & Epicurei, qui Adam, & Hevam e Terra, veluti fungos, erupiſſe blaſphemant.

DIALOGUS.

O. Quicunque vel compertiſſimum illud, Primumque Contradictionis Principium (*F.VII.*, *& ſ.*

Digitized by Google

& ej. *Schol.*), ignorat, huic nullam DEUS PHILOSOPHIAM infudit (§.XII. L.I.). Sed ignoravit ADAM vel compertiſſimum illud, Primumque Contradictionis Principium. Ergo nullam DEUS ADAMO PHILOSOPHIAM infudit (II.ª IV.ª §. VII.). *Probo Minorem*. Quicumque judicat Creaturam fieri ſimilem CREATORI poſſe, hic equidem ignorat compertiſſimum illud, Primumque Contradictionis Principium (§§.XXVI. XXVII. L.I.). Sed judicavit ADAM Creaturam fieri ſimilem CREATORI poſſe. Ergo ignoravit ADAM compertiſſimum illud, Primumque Contradictionis Principium (II.ª IV.ª §.*Cit.*). *Probo Minorem*. ADAM ob illa Serpentis verba, *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum*, (*b*) judicavit, ſe, HEVAMque ſuam DEO ſimiles futuros. Ergo judicavit ADAM Creaturam fieri ſimilem CREATORI poſſe (II.ª IV.ª §.VIII.). *Probo Antecedens*. Dixit ADAMO DEUS: *Ecce ADAM, quaſi unus ex nobis, ſciens bonum, & malum* (*c*). Ergo ADAM ob illa Serpentis verba, *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum*, judicavit ſe, HEVAMque ſuam DEO ſimiles futuros (II.ª IV.ª §.*Cit.*, & §.*XIX. n.*).

(*b*) GENESIS III. 5.

(*c*) GENESIS III. 22.

R. *Conceſſo Antecedente, diſtinguo Conſequens*: Ergo ADAM ob illa Serpentis verba judicavit ſe, HEVAMque ſuam DEO ſimiles aliquatenus, *concedo*; omnino futuros, *nego Conſequentiam*. Creaturam fieri ſupparem CREATORI poſſe immane abſurdum eſt vel in Naturali Logica

(§.XXI.

Digitized by Google

(§.*XXI. L.I.*), in quod Adamum incidiſſe conſtanter denego, ſi unquam Sacros Biblios intellexi. In his enim nec legitur Serpentem cum Adamo loquutum, multoque minus ab eo deceptum divinitatem inhiaſſe. Immo DEO Protoparentes compellanti, adque culpæ rationem compellenti Adam ingenue reſpondit: „ Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de Ligno, & comedi „ (*d*).

Una Donna così far potè quello,

Che tentar non osò l' Angiol rubello (*e*).

Mulier autem & ipſa libere: „ Serpens decepit me, & comedi „ (*f*). Quam utriuſque rationem adeo ſufficientem admiſit DEUS, ut Serpenti primum (*g*), hinc Hevæ ſuam (*h*), tandem Adamo pœnam hoc inflixerit modo: „ Quia (II.ª III.ª §.XLV.) audiſti vocem Uxoris tuæ, & comediſti de Ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta Terra in opere tuo „ *&c.* (*i*). Quare Heva quidem, divinitate illecta, credidit Serpenti, deceptaque eſt, non Adam. Sunt igitur nugæ, Adam vel non agnoviſſe naturam Serpentis, vel naturalem illi loquelam judicaſſe. Hic denique locus „ Ecce Adam, quaſi unus ex nobis, ſciens bonum, & malum „ non ſignificare poteſt, niſi celſitudinem quamdam Creaturis communicabilem appetiiſſe. Etenim non raro in Scripturis Prophetæ, Apoſtoli, Sacerdotes, Judices *Dii*, *filiique excelſi* nominantur.

(*d*) *Genesis III.* 12.

(*e*) *Campailla XVI.* 122.

(*f*) *Genesis III.* 13.

(*g*) *Genesis III.* 14. 15.

(*h*) *Genesis III.* 16.

(*i*) *Genesis III.* 17. 18. 19.

O. Hic

O. Hic locus „ Ecce ADAM, quaſi unus ex Nobis, ſciens bonum, & malum „ minimum ſignificat, celſitudinem Creaturis non communicabilem ADAMUM appetiiſſe. Ergo nil Solutum. *Probo Antecedens*. Hic locus „ Ecce ADAM, quaſi unus ex Nobis, ſciens bonum, & malum „ Ironia eſt, qua DEUS ADAMUM irridet. Sed intempeſtiva eſſet, ineptaque Ironia, niſi minimum ADAMUS celſitudinem Creaturis non communicabilem appetiiſſet. Ergo hic locus „ Ecce ADAM, quaſi unus ex Nobis, ſciens bonum, & malum „ minimum ſignificat, celſitudinem Creaturis non communicabilem ADAMUM appetiiſſe (II.ᵃ IV.ⁱ §. XIV.).

R. *Conceſſa Majore, nego Minorem cum Conſequentia*. Tempeſtiva eſt, & aptiſſima Ironia, ſi dicatur, ADAM majorem celſitudinem, uberioremque rerum Cœleſtium Scientiam eſu Pomi ſperaſſe, HÆVÆque magis, quam DEO ſuo adhæſiſſe. Ut patet ex Contextu.

O. Atqui tempeſtiva non eſt, nec apta Ironia, ſi dicatur, ADAM majorem celſitudinem, uberioremque rerum Cœleſtium Scientiam eſu Ligni ſperaſſe. Ergo nil ſolutum. *Probo Subſumptum*. Lignum illud, cujus fructum comedit, vere Lignum erat Scientiæ: dicit enim MOSES „ produxit Dominus DEUS de humo omne Lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, Lignum etiam Vitæ in

medio Paradiſi, Lignumque SCIENTIÆ Boni, & Mali „ (*l*). Ergo tempeſtiva non eſt, nec apta Ironia, ſi dicatur, ADAM majorem celſitudinem, uberioremque rerum Cœleſtium Scientiam eſu Ligni ſperaſſe (II.ª IV.ᵗ §.XII.).

(*l*) GENESIS II. 9.

R. *Concedo Antecedens explicandum*, *& nego Conſequentiam*. Quod, in medio Paradiſi poſitum, Lignum Scientiæ appellatur a MOSE, non ita intelligendum, ac ſi Scientiam infundendi virtutem habuerit, ut Ligno Vitæ vitæ recreandæ, & prorogandæ virtus inerat. Non certe. Nec mea ſententia hæc eſt, alioqui mea, ſed illam accepi a SS.ᵗⁱˢ Eccl. PP.ᵇᵘˢ, Doctoribuſque SERAPHICO, ANGELICO, SUBTILI (*m*). Sed Scientiæ Lignum dictum eſt ab eventu, quia nimirum evenit, ut Protogenitores contra Divinum Præceptum de Ligno comedentes adepti ſint, non eam profecto Rerum Cœleſtium Scientiam, quam ambiebant, ſed (proh dolor! tantamne unius hominis culpa univerſo Hominum generi ruinam attulit?) ſed Scientiam Boni, quod una cum Poſteris amiſere, & Mali, quod cum Poſteris experti ſunt.

(*m*) TIRINUS in II. GENESIS 9.

Appena il miſerabile inghiottìo
Quel frutto a lui fatal de la Scienza,
Che a la miſera coppia i lumi aprìo
Una malizioſa erubeſcenza.
E in queſta, e in quel la nudità ſcoprìo,
Che pria il velo copria dell' Innocenza.

Seppe

Seppe il Ben, ſeppe il Mal l' aperta Mente;
Ahi duol! ma il Ben perduto, e il Mal preſente (n).

Quum igitur ADAM eſu Pomi aliam ſperaſſet Scientiam, aliam nactus fuerit; tempeſtivâ a DOMINO Ironiâ, aptoque ſarcaſmo correptus eſt.

(n) *Immortalis CAMPAILLA XVI.* 23.

DIALOGUS II.

O. Nullam Nobis DEUS Philoſophiam infundit. Ergo nec ADAMO (*F. VIII.*, *&* II.ª IV.ⁱ §. X.).

R. *Conceſſo Antecedente, nego Conſequentiam* (*Anteceſſ.* §. 8. ⁿ). Nam ADAM Primus Homo, Innocens, nec genitus, ſed a DEO creatus, futurus Omnium Pater, & Doctor.

O. Uti Nobis DEUS, ita dedit ADAMO Mentem, & Senſus, qui ſunt philoſophandi Media (*F. F. I. II.*). Ergo ut nullam Nobis DEUS Philoſophiam infundit, nec ADAMO (II.ª IV.ⁱ §. *Cit.*).

R. Uti Nobis DEUS, ita dedit ADAMO Mentem, & Senſus, qui ſunt philoſophandi Media poſt Auctoritatem (*F. III.*), *concedo*; ſecus, *nego Antecedens cum Conſequentia*. Tolle Auctoritatem, jam tollis Artium, Scientiarumque baſim (*Not.* 62.). Sed Auctoritas Humana defuit ADAMO, Primo Hominum Patri (*F. X.*). Ergo adeſſe debuit Divina. Porro DEUS, non inſtar perridiculi Ludimagiſtri concipiendus eſt, qui in phrontiſterio quodam

pedetentim, patienterque ADAMUM edocuerit, ſed qui mirifice, qui ſubito, qui infundendo.

O. Potuit adeſſe Angelica, ut CAMPAILLA cecinit; docens ergo, non infundens (II.ª IV.ⁱ §. VIII.ᵛ).

R. Potuit enimvero, ut Poëta finxit; at non adfuit, ut Scriptura docet.

FUNDAMENTUM XI.

PHILOSOPHIAM ADAMUS FILIOS EDOCUIT, ET FILII FILIORUM FILIOS. QUAM, SATIS LONGO TEMPORIS PROGRESSU, HOMINUMQUE DESIDIA PRORSUS, VEL PROPEMODUM EXTINCTAM, CURIOSI RURSUM, ACUTIQUE HOMINES REVOCARUNT IN LUCEM. AT IN BONAM ARTEM GRÆCI; SÆCULISQUE POSTREMIS IN MELIOREM ITALI, GALLI, ANGLI, GERMANIQUE PRÆSERTIM REDEGERE.

D. Parentes modo jure Naturæ (*a*), vel Gentium quæ ſciunt Filios docent. Ergo & PHILOSOPHIAM ADAMUS Filios docuit (*F. X.*), & Filii Filiorum Filios [II.ª IV.ⁱ §.X. (*b*)]. Q.E.I.

Logices inventor ZENO fuit ELEATENSIS, Phyſicæ THALES MILESIUS, Ethicæ SOCRATES, Geometriæque DEMOCRITUS (*c*). Ergo PHILOSOPHIAM, ſatis longo temporis progreſſu, hominumque deſidiâ prorſus, vel propemodum extinctam, curioſi rurſum, acutique homines revocarunt in lucem (§. XXXIX. L. I., II.ª III.ⁱ §.LVI.

(*a*) *VINNIUS not. 3. ad I. Inſtit. T. 2. pr.*

(*b*) *JOSEPHUS I. Antiquitat. 3. Sed contra JOSEPHUM JOANNES BAPTISTA VICUS in Opere, cui titulus „ Principj di Scienza nova intorno alla commune Natura delle Nazioni „ pag. 41. Napoli 1744.*

[*c*] *DUHAMELIUS T. I. Philoſ. Q. 3. GENUENSIS Log. Prolegomen. par. 15. Lege TATIANUM adverſus Græcos.*

III.ª §.LVI., II.ª IV.ª §.VIII.; *&* *F.III.*). Q.E.II.

Ante GRÆCORUM tempora nullos fuiſſe Scriptores, niſi Poëtas, EUSEBIUS AMORT (*d*): & ab ARISTOTELE primum Philoſophiam in juſtam Artem relatam GENUENSIS affirmat (*e*). Ergo PHILOSOPHIAM in bonam Artem GRÆCI primum redegere (II.ª III.ª §. LVI., II.ª IV.ª §. VIII., *&* *F. III.*). Q. E. III.

(*d*) *T. II. Philoſo pag. 21.*

(*e*) *Log. Prolegom. parag. 17. & Metaph. Prolog. T. I. parag. 12.*

Tandem Vocabulorum proprietate, Idearum claritate, Rerum ubertate, Methodi dignitate GENUENSIS, CARTESII, NEWTONI, LEIBNITII, WOLFII PHILOSOPHIÆ tantum Veterem cedere,

Lenta ſalix quantum pallenti cedit Olivæ,
Puniceis humilis quantum Saliunca Roſetis (*f*),

legenti patet (I.ª IV.ª §. IX.). Q. E. IV.

(*f*) *ECLOG. V. 16. 17.*

FUNDAMENTUM XII.

PHILOSOPHIÆ LIMITES CONSTITUUNT FUTURA LIBERA, DE QUIBUS PROPOSITIONUM SINGULARIUM (II.ª III.ª §. XXIX.) ABSOLUTE CONTRADICENTIUM (II.ª III.ª §.XXXVII.) ALTERA VERA EST, ALTERA FALSA; SED ALTERA DETERMINATE VERA, ALTERA DETERMINATE FALSA EX DIVINO DECRETO.

D. Si nullimode Philoſophis ſunt cognitu poſſibilia FUTURA LIBERA; Philoſophiæ LIMITES conſtituunt FUTURA LIBERA (§. XIII. L.I.). Atqui nullimode Philoſophis ſunt cognitu

poſſibi-

Digitized by Google

poſſibilia FUTURA LIBERA: Non quidem per Experientiam (*Per notionem Exper.* I.ª III.ⁱ §.VII., & *Futuri Liberi*), nec per Rationem, etenim Rationis fundamentum eſt Experientia (I.ª III.ⁱ §.XII.), nec per Hominum Auctoritatem, eſt enim Auctoritas Experientia, vel Ratio, licet non tua, ſed aliorum (I.ª III.ⁱ §.XVI.). Ergo Philoſophiæ LIMITES conſtituunt FUTURA LIBERA (II.ª IV.ⁱ §.§.XIV.XV.XVII.). Q.E.I. (*a*). Dicat ergo Philoſophus, etiam Analyſeos, & Cabalæ peritiſſimus,

Ma l' Arte mia per ſe dentro al Futuro
Non ſcorge il Ver, che troppo occulto giace,
Se non caliginoſo, e dubbio, e ſcuro,
Quaſi lunge per nebbia incerta face (*b*).

Propoſitionum, *Alexander Clytum haſtâ transfiget*, *Alexander Clytum haſtâ non transfiget*, altera VERA eſt, altera FALSA (II.ª III.ⁱ §.LX., & *F.VII.*). Q.E.II.

Præſtructo tandem DIVINO DECRETO Futura Libera ſunt determinata, non præſtructo Decreto nec equidem ſunt Futura (*Ex Dogmate Theologico*). Ergo Propoſitionum Singularium de Futuro Libero abſolute contradicentium altera eſt determinate vera, altera falſa ex DIVINO DECRETO (II.ª IV.ⁱ §.VIII.). Q.E.III.

SCHOLION.

Prima pars Aſtrologos, quos vocant, Judiciarios (*c*). Tertia pars DUHAMELIUM in primis

(*a*) *Conf. Not. 56.*

(*b*) *Gerusalemme Lib. XVIII.*

(*c*) *Contra quos lege PICUM adv. Aſtrolog. GENUENSIUM Prop. 189. Ont. & in Scepticiſm. Conf. Parag. 7 SENECAM Suaſoriâ 4. HUET. ad Axioma 4. Demonſtrat. Evangel. CUDVVORTHUM Syſtem. Intell. Univ. T. II. C. 5. Sect. I. SEGNERI Incredulo ſenza ſcuſa P.I.C.XXII. & ſeqq.*

primis impetit (*d*), Amort inde (*e*), Fraſſenniumque (*f*).

DIALOGUS.

O. Cauſſæ futurorum liberorum, h.e. Voluntates hominum, uſque ad extremum inſtans, minutumque temporis non ſunt determinatæ (§.XVI. L.I.). Ergo neutra de futuris liberis Propoſitio eſt determinate vera (§.VII. L.I., & II.ª IV.ⁱ §.VIII.).

R. Abſolute, *concedo*; etiam relatæ ad divinum decretum, *nego Antecedens cum Conſequentia* (*Dem.ᵉ præc.*).

O. Etiam relatæ ad divinum decretum ſunt liberæ, aliter nec præmio dignæ, nec pœna. Ergo etiam relatæ ad divinum decretum non ſunt determinatæ (II.ª IV.ⁱ §. XII.).

R. *Conceſſo Antecedente*, *diſtinguo Conſequens*: Ergo etiam relatæ ad divinum decretum non ſunt determinatæ *in ſenſu diviſo*, *concedo*; *in ſenſu compoſito* (II.ª II.ⁱ §.XXIV. *n.*), *nego Conſequentiam*. Voluntas mea, quum ſcribo, eſt ad unum, nempe ad ſcriptionem, determinata (*F.VII.*). Sed poteram oppoſitum, nempe non ſcriptionem eligere (*Exp.Int.*). Ergo neceſſario ad ſcribendum determinatus non fui (*Per notionem Neceſſarii*). Ergo libere (*Per Principium Contradict.*). Ergo, quamquam ſcribam, liber ſum, meaque ſcriptio liberrima. Igitur

a ſimili

(*d*) *Log. P. Q. & Art. 2.*

(*e*) *Log. Q. 2.*

(*f*) *Log. P. Sect. & Q. 2. Concl. 3. Lege* BAUMEISTERUM *parag. 481. Ontol.*

a ſimili (I.ª IV.ⁱ §.V.) Voluntates hominum *in ſenſu compoſito*, h. e. relatæ ad DIVINUM DECRETUM, ſunt ad unum determinatæ, puta ad *a*. Sed poterant ad illud *a* non determinari; poteratque non poni DECRETUM illud, & oppoſitum poni [*Ex notione Divini Decreti, maxime in Schola Subtili* (g)]. Ergo neceſſario ad *a* determinatæ non ſunt (*Per notion. Neceſſarii*). Ergo libere (*Per Princip. Contradict.*). Ergo quamquam *in ſenſu compoſito* Voluntates hominum ſint determinatæ; ſunt tamen liberæ, & earundem actiones liberrimæ, & viciſſim.

(g) Lege MASTRIUM in I. Sentent. Diſp. 3. C. 3. Artic. 8. n. 166. 175.

O. Ergo Voluntates hominum *in ſenſu compoſito* cum DIVINO DECRETO ſunt arbores meræ (II.ª IV.ⁱ *Ex. ad* §.VIII. ¹·). *Probo Conſequentiam. In ſenſu compoſito* cum DIVINO DECRETO ſunt ad unum determinatæ, puta ad *a*, neque poſſunt unquam oppoſitum elicere, niſi irrito, quod repugnat, DIVINO DECRETO (*R.ª prac.*). At Arbores etiam ſunt ad unum determinatæ, puta ad *a*, neque poſſunt unquam oppoſitum elicere. Ergo Voluntates hominum *in ſenſu compoſito* cum DIV. DECR. ſunt Arbores meræ (I.ª IV.ⁱ §.V., *&* II.ª IV.ⁱ §.XIV.).

R. At Voluntates hominum ſunt determinatæ ad unum per Electionem, & ad illud non determinari poterant, & ad oppoſitum determinari: Arbores autem (pudet enimvero ſimilitudinis) per Naturam, & non determinari, vel determinari ad oppoſitum nec poſſunt, nec

pote-

Digitized by Google

poterant, *concedo*; ſecus, *nego Antecedens tum conſequentia* [*R.r prac.* (*b*)].

Hæc habui de SCHOLA VERITATIS, & contra Scepticos quæ dicerem (§.XX.L.I., *& Anteceſſionis* §.5.). Vos autem hortor, Adoleſcentes optimi, ut ita VERITATEM locetis, ſine qua Sapientia eſſe non poteſt, ut nihil eâ præſtabilius putetis.

(b) *Lege* BAUMEISTERUM *parag.* 185. *Ontol.*

Errores ſunt mei.
Veritates DEI.

LIBRI VI. ET ULTIMI
FINIS.

Digitized by Google

ΤΩΝ ΣΦΑΛΜΑΤΩΝ	ΔΙΟΡΘΩΣΕΙΣ
Lap.	Cap. paginâ 5. §.XI. literâ *n*
linceo	Lynceo pag. 27. Not.17. lineâ 14.
quantumqne	*quantumque* pag.39. §.XVI. lin.12.
rnm	rum pag.43. §.XXII. lin.9.
ſu nt	ſunt pag.44. Not.29. lin. 6.
Vi r	Vir ibidem lin.7.
PHANSTATICA	PHANTASTICA pag.48. §.XXXI. lin.4.
qna	qua pag.49. §.XXXII. lin.8.
caſn	caſu pag.54. Not.38. lin.6.
XVIII.	XIII. pag.57. Not.41. lit.*f*.
ſteſſo	*ſteſſo* pag.71. lin.1.
j ure	jure pag.75. §.XXV. lin.1.
Suppoſitii	Suppoſititii pag.79. §.XXXI. lin.1.
Suppoſitius	Suppoſititius ibid. lit.*g*.
Mutilla	Mutila ibid. lit. *i*.
Επιχν	Επιχίν pag.84. §.XXXIII. lin.6.
turpidinis	turpitudinis pag.87. Not.54. lin.7.
ori tur	oritur pag.99. Exemplis ad §.VI.lin.12.
(*b*.§.I.)	(*b*.§.1.) pag.99. §.XIII. lin.16.
( )	(*e*.) pag.102. §.XIV. lin.9.
pracepto	præcepto pag.103. §.XIV. lin.13.
colligere	colligere, ſi ibid.Not.60. lin.2.
BAUMESTERUS	BAUMEISTERUS pag.106. lin.9.
(L.ª H.II. III. VI. X.)	(I.ª H.§.§. II.III.VI.X.) pag.112.§.VI. lin.4.
(*Ex term.&* §.XIV.ξ.)	(*Ex term. &* I.ª H. §.XIV. ξ.) pag. 114. §.IX. lin.3.
genealogia s	genealogias pag.115. Ex.ad §.IX.lin.1.
eapacitatem	capacitatem pag. 127. Ex. ad §. XVII. lin.4.
conſtitit	conſiſtit pag.130. §.XX. lin.7.
Lib VIII. C.f.3.	L.VIII. C.3.f. ibid. lit.*d*.
PRINCIPIUN.	PRINCIPIUM pag.141. §.XXV. lin.7.
fcilicet	ſcilicet pag.220. §.XIX. lin.4.
philofophicum	philoſophicum . ibid. lin.5.
eofdem	eoſdem pag.221. ibid. lin.10.
(II.ª IV.ⁱ §. XXVI.)	(II.ª IV.ⁱ §. XXV.) pag.230. Not. 98. lin.10.
pro pagina 335.	235
(§.V.V. L.I.)	(§.§. IV.V. L.I.) pag.253. §.9. lin.4.
de Pinibus	de Finibus ibid. lit.*c*.
ì ta	ita- pag. 272. lin.10.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google